Ἔτλη θνητὸς ἐὼν κατεναντίον ὁρμηθῆναι,
Πλὴν Ἡρακλῆος καὶ κυδαλίμου Ἰολάου;
Κείνων γὰρ μεγάλη τε βίη καὶ χεῖρες ἄαπτοι
Ἐξ ὤμων ἐπέφυκον ἐπὶ στιβαροῖσι μέλεσσιν.
Ὅς ῥα τόθ' ἡνίοχον προσέφη κρατερὸν Ἰόλαον·
Ἥρως, ὦ Ἰόλαε, βροτῶν πολὺ φίλτατε πάντων,
Ἦ τι μετ' ἀθανάτους μάκαρας, τοὶ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
Ἤλιτεν Ἀμφιτρύων, ὅτ' ἐϋστέφανον ποτὶ Θήβην
Ἦλθε, λιπὼν Τίρυνθον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον,
Κτείνας Ἠλεκτρύωνα, βοῶν ἕνεκ' εὐρυμετώπων.
Ἵκετο δ' ἐις Κρείοντα καὶ Ἡνιόχην τανύπεπλον,
Οἵ ῥά μιν ἠσπάζοντο καὶ ἄρμενα πάντα παρεῖχον,
Ἧι δίκη ἐσθ' ἱκέτῃσι· τίον δ' ἄρα κηρόθι μᾶλλον.

Ζῶε δ' ἀγαλλόμενος σὺν εὐσφύρῳ Ἠλεκτρυώνῃ
Ἧι ἀλόχῳ· τάχα δ' ἄμμες ἐπιπλομένων ἐνιαυτῶν
Γεινόμεθ', οὔτε φυὴν ἐναλίγκιοι, οὔτε νόημα,
Σός τε πατὴρ καὶ ἐγώ. τοῦ μὲν φρένας ἐξέλετο Ζεύς·
Ὃς προλιπὼν σφέτερόν τε δόμον σφετέρους τε τοκῆας,
Ὤχετο τιμήσων ἀλιτήμενον Εὐρυσθῆα,
Σχέτλιος· ἦ που πολλὰ μετεστοναχίζετ' ὀπίσσω,
Ἣν ἄτην ἀχέων. ἡ δ' οὐ παλινάγρετός ἐστιν.
Αὐτὰρ ἐμοὶ δαίμων χαλεποὺς ἐπετέλλετ' ἀέθλους.
Ὦ φίλος, ἀλλὰ σὺ θᾶσσον ἔχ' ἡνία φοινικόεντα
Ἵππων ὠκυπόδων· μέγα δὲ φρεσὶ θάρσος ἀέξων,
Ἰθὺς ἔχειν θοὸν ἅρμα καὶ ὠκυπόδων σθένος ἵππων,
Μηδὲν ὑποδδείσας κτύπον Ἄρεος ἀνδροφόνοιο,
Ὃς νῦν κεκληγὼς περιμαίνεται ἱερὸν ἄλσος
Φοίβου Ἀπόλλωνος ἑκατηβελέταο ἄνακτος.
Ἦ μὴν καὶ κρατερός περ ἐὼν ἄαται πολέμοιο.
    Τὸν δ' αὖτε προσέειπεν ἀμώμητος Ἰόλαος,
Ἠθεῖ', ἦ μάλα δή τι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Τιμᾷ σὴν κεφαλὴν, καὶ ταύρεος Ἐννοσίγαιος,
Ὃς Θήβης κρήδεμνον ἔχει, ῥύεταί τε πόληα.
Οἷον δὴ καὶ τόνδε βροτὸν κρατερόν τε μέγαν τε
Σὰς ἐς χεῖρας ἄγουσιν, ἵνα κλέος ἐσθλὸν ἄρηαι.
Ἀλλά γε δύσσεο τεύχε' ἀρήϊα, ὄφρα τάχιστα

Δίφρους ἐμπελάσαντες Ἄρηός θ' ἡμέτερόν τε
Μαρνώμεσθ'. ἐπεὶ οὔτι ἀτάρβητον Διὸς υἱὸν
Οὐδ' Ἰφικλείδην δειδίξεται· ἀλλά μιν οἴω
Φεύξεσθαι δύο παῖδας ἀμύμονος Ἀλκείδαο,
Οἳ δή σφι σχεδὸν εἰσι, λιλαιόμενοι πολέμοιο
Φυλόπιδα στήσειν· τά σφιν πολὺ φίλτερα θοίνης.
Ὣς φάτο· μείδησεν δὲ βίη Ἡρακληείη,
Θυμῷ γηθήσας. μάλα γάρ νύ οἱ ἄρμενα εἶπεν.
Καί μιν ἀμειβόμενος ἔπεα πτερόεντα προσηύδα.
Ἥρως, ὦ Ἰόλαε, διοτρεφὲς, οὐκέτι τηλοῦ
Ὑσμίνη τρηχεῖα· σὺ δ' ὡς πάρος ἦσθα δαΐφρων,
Ὣς καὶ νῦν μέγαν ἵππον Ἀρείονα κυανοχαίτην
Πάντη ἀναστρωφᾷν, καὶ ἀρηγέμεν, ὥς κε δύνηαι.
Ὣς εἰπὼν, κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ,
Ἡφαίστου κλυτὰ δῶρα, περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε,
Δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε
Καλὸν, χρύσειον, πολυδαίδαλον, ὅν ῥ' οἱ ἔδωκε
Παλλὰς Ἀθηναίη κούρη Διὸς, ὁππότ' ἔμελλε
Τοπρῶτον στονόεντας ἐφορμήσασθαι ἀέθλους.
Θήκατο δ' ἀμφ' ὤμοισιν ἀρῆς ἀλκτῆρα σίδηρον
Δεινὸς ἀνήρ· κοίλην δὲ περὶ στήθεσσι φαρέτρην
Καββάλετ' ἐξόπιθεν· πολλοὶ δ' ἔντοσθεν ὀϊστοὶ
Ῥιγηλοὶ, θανάτοιο λαθιφθόγγοιο δοτῆρες.

Πρόσθεν μὲν θάνατόν τ' εἶχον, καὶ δάκρυσι μῦρον·
Μέσσοι δὲ ξεστοὶ, περιμήκεες· αὐτὰρ ὄπισθεν
Μορφνοῖο φλεγύαο καλυπτόμενοι πτερύγεσσιν
Ἦσαν. ὁ δ' ὄβριμον ἔγχος ἀκαχμένον εἵλετο χαλκῷ·
Κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκε,
Δαιδαλέην, ἀδάμαντος, ἐπὶ κροτάφοις ἀραρυῖαν,
Ἥτ' εἴρυτο κάρη Ἡρακλῆος θείοιο.
ΧΕΡΣΊ γε μὲν σάκος εἷλε παναίολον· οὐδέ τις αὐτὸ
Οὔτ' ἔρρηξε βαλὼν, οὔτ' ἔθλασε, θαῦμα ἰδέσθαι.
Πᾶν μὲν γὰρ κύκλῳ τιτάνῳ λευκῷ τ' ἐλέφαντι,
Ἠλέκτρῳ θ' ὑπολαμπὲς ἔην, χρυσῷ τε φαεινῷ
Λαμπόμενον· κυάνου δὲ διὰ πτύχες ἠλήλαντο.
Ἐν μέσσῳ δὲ δράκοντος ἔην φόβος, οὔτι φατειὸς,
Ἔμπαλιν ὄσσοισιν πυρὶ λαμπομένοισι δεδορκώς.
Τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν πλῆτο στόμα λευκὰ θεόντων,
Δεινῶν, ἀπλήτων· ἐπὶ δὲ βλοσυροῖο μετώπου
Δεινὴ Ἔρις πεπότητο, κορύσσουσα κλόνον ἀνδρῶν,
Σχετλίη, ἥ ῥα νόον τε καὶ ἐκ φρένας εἵλετο φωτῶν
Οἵ τινες ἀντιβίην πόλεμον Διὸς υἷϊ φέροιεν.
Τῶν καὶ ψυχαὶ μὲν χθόνα δύνουσ' ἄϊδος εἴσω
Αὐτῶν· ὀστέα δέ σφι περὶ ῥινοῖο σαπείσης
Σειρίου ἀζελέοιο κελαινῇ πύθεται αἴῃ.
Ἐν δὲ προΐωξίς τε παλίωξίς τε τέτυκτο·

Ἐν δ' ὅμαδός τε, φόβος τ', ἀνδροκτασίη τε δεδήει.
Ἐν δ' ἔρις, ἐν δὲ κυδοιμὸς ἐθύνεον· ἐν δ' ὀλοὴ κὴρ,
Ἄλλον ζωὸν ἔχουσα νεούτατον, ἄλλον ἄουτον,
Ἄλλον τεθνειῶτα κατὰ μόθον ἕλκε ποδοῖϊν.
Εἷμα δ' ἔχ' ἀμφ' ὤμοισι δαφοίνεον αἵματι φωτῶν,
Δεινὸν δερκομένη, καναχῇσί τε βεβριθυῖα.
Ἐν δ' ὀφίων κεφαλαὶ δεινῶν ἔσαν οὔτι φατειῶν
Δώδεκα· ταὶ φοβέεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων,
Οἵτινες ἀντιβίην πόλεμον Διὸς υἷϊ φέροιεν.
Τῶν καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλεν, εὖτε μάχοιτο
Ἀμφιτρυωνιάδης· τὰ δὲ δαίετο θωϋτὰ ἔργα.
Στίγματα δ' ὣς ἐπέφαντο ἰδεῖν δεινοῖσι δράκουσι
Κυανέα κατὰ νῶτα, μελάνθησαν δὲ γένεια.
Ἐν δὲ συῶν ἀγέλαι χλούνων ἔσαν ἠδὲ λεόντων
Ἐς σφέας δερκομένων, κοτεόντων τ' ἱεμένων τε.
Τῶν καὶ ὁμιληδὸν στίχες ἤϊσαν· οὐδέ νυ τώ γε
Οὐδέτεροι τρεέτην· φρίσσον γε μὲν αὐχένας ἄμφω.
Ἤδη γάρ σφιν ἔκειτο μέγας λῖς, ἀμφὶ δὲ κάπροι
Δοιοὶ ἀπουράμενοι ψυχὰς, κατὰ δέ σφι κελαινὸν
Αἷμ' ἀπελείβετ' ἔραζ'. οἱ δ', αὐχένας ἐξεριπόντες,
Κείατο τεθνειῶτες ὑπὸ βλοσυροῖσι λέουσι.
Τοὶ δ' ἔτι μᾶλλον ἐγειρέσθην, κοτέοντε μάχεσθαι,
Ἀμφότεροι, χλοῦναί τε σύες, χαροποί τε λέοντες.

Ἐν δ' ἦν ὑσμίνη Λαπιθάων αἰχμητάων,
Καινέα τ' ἀμφὶ ἄνακτα, Δρύαντά τε, Πειρίθοόν τε,
Ὁπλέα τ', Ἐξάδιόν τε, Φάληρόν τε, Πρόλοχόν τε,
Μόψον τ' Ἀμπυκίδην, Τιταρήσιον, ὄζον Ἄρηος,
Θησέα τ' Αἰγείδην, ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν,
Ἀργύρεοι, χρύσεια περὶ χροῒ τεύχε' ἔχοντες.
Κένταυροι δ' ἑτέρωθεν ἐναντίοι ἠγερέθοντο
Ἀμφὶ μέγαν Πετραῖον, ἰδ' Ἄσβολον οἰωνιστὴν,
Ἄρκτον θ', Οὔριόν τε, μελαγχαίτην τε Μίμαντα,
Καὶ δύο Πευκείδας, Περιμήδεά τε, Δρύαλόν τε,
Ἀργύρεοι, χρυσέας ἐλάτας ἐν χερσὶν ἔχοντες·
Καί τε συναΐκτην ὡσεὶ ζωοί περ ἐόντες,
Ἔγχεσιν ἠδ' ἐλάτῃς αὐτοσχεδὸν ὠριγνῶντο.
Ἐν δ' Ἄρεος βλοσυροῖο ποδώκεες ἕστασαν ἵπποι
Χρύσεοι· ἐν δὲ καὶ αὐτὸς ἐναρφόρος οὔλιος Ἄρης
Αἰχμὴν ἐν χείρεσσιν ἔχων, πρυλέεσσι κελεύων,
Αἵματι φοινικόεις, ὡσεὶ ζωοὺς ἐναρίζων,
Δίφρῳ ἐμβεβαώς. παρὰ δὲ Δειμός τε Φόβος τε
Ἕστασαν, ἱέμενοι πόλεμον καταδύμεναι ἀνδρῶν.
Ἐν δὲ Διὸς θυγάτηρ ἀγελείη Τριτογένεια,
Τῇ ἰκέλη, ὡσεί τε μάχην ἐθέλουσα κορύσσειν,
Ἔγχος ἔχουσ' ἐν χερσὶ, χρυσείην τε τρυφάλειαν,
Αἰγίδα τ' ἀμφ' ὤμοις· ἐπὶ δ' ᾤχετο φύλοπιν αἰνήν.

Ἐν δ' ἦν ἀθανάτων ἱερὸς χορός· ἐν δ' ἄρα μέσσῳ
Ἱμερόεν κιθάριζεν Λητοῦς καὶ Διὸς υἱὸς
Κρυσείῃ φόρμιγγι· θεῶν δ' ἕδος ἁγνὸς Ὄλυμπος·
Ἐν δ' ἀγορὴ, περὶ δ' ὄλβος ἀπείριτος ἐστεφάνωτο,
Ἀθανάτων. Ἐν ἀγῶνι θεαὶ δ' ἐξῆρχον ἀοιδῆς
Μοῦσαι Πιερίδες, λιγὺ μελπομέναις εἰκυῖαι.
Ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος ἀμαιμακέτοιο θαλάσσης
Κυκλοτερὴς ἐτέτυκτο πανέφθου κασσιτέροιο,
Κλυζομένῳ ἴκελος· πολλοί γε μὲν ἀμμέσον αὐτοῦ
Δελφῖνες τῇ καὶ τῇ ἐθύνεον ἰχθυάοντες,
Νηχομένοις ἴκελοι. δοιοὶ δ' ἀναφυσιόωντες
Ἀργύρεοι δελφῖνες ἐθοίνων ἔλλοπας ἰχθῦς.
Τῶν ὑπὸ χάλκειοι τρέον ἰχθύες· αὐτὰρ ἐπ' ἀκταῖς
Ἧστο ἀνὴρ ἁλιεὺς δεδοκημένος· εἶχε δὲ χερσὶν
Ἰχθύσιν ἀμφίβληστρον, ἀποῤῥίψοντι ἐοικώς.
Ἐν δ' ἦν ἠϋκόμου Δανάης τέκος ἱππότα Περσεὺς,
Οὔτ' ἄρ ἐπιψαύων σάκεος ποσὶν, οὔθ' ἑκὰς αὐτοῦ·
Θαῦμα μέγα φράσσασθ'· ἐπεὶ οὐδαμῇ ἐστήρικτο.
Τὼς γάρ μιν παλάμαις τεῦξε κλυτὸς Ἀμφιγυήεις
Χρύσεον· ἀμφὶ δὲ ποσσὶν ἔχε πτερόεντα πέδιλα.
Ὤμοισιν δέ μιν ἀμφὶ μελάνδετον ἄορ ἔκειτο
Χάλκεον ἐκ τελαμῶνος· ὁ δ' ὥς τε νόημ' ἐποτάτο.
Πᾶν δὲ μετάφρενον εἶχε κάρη δεινοῖο πελώρου

Γοργοῦς. ἀμφὶ δέ μιν κίβυσις θέε, θαῦμα ἰδέσθαι,
Ἀργυρέη· θύσανοι δὲ κατηωρεῦντο φαεινοὶ
Χρύσειοι. δεινὴ δὲ περὶ κροτάφοισιν ἄνακτος
Κεῖτ' Ἄϊδος κυνέη, νυκτὸς ζόφον αἰνὸν ἔχουσα.
Αὐτὸς δὲ σπεύδοντι καὶ ἐρρίγοντι ἐοικὼς
Περσεὺς Δαναΐδης ἐτιταίνετο. ταὶ δὲ μετ' αὐτὸν
Γοργόνες ἄπλητοί τε καὶ οὐ φαταὶ ἐρρώοντο,
Ἱέμεναι μαπέειν. ἐπὶ δὲ χλωροῦ ἀδάμαντος
Βαινουσέων ἰάχεσκε σάκος μεγάλῳ ὀρυμαγδῷ
Ὀξέα καὶ λιγέως· ἐπὶ δὲ ζώνῃσι δράκοντε
Δοιὼ ἀπῃωρεῦντ', ἐπικυρτώοντε κάρηνα.
Λίχμαζον δ' ἄρα τώ γε, μένει δ' ἐχάρασσον ὀδόντας
Ἄγρια δερκομένω. ἐπὶ δὲ δεινοῖσι καρήνοις
Γοργείοις ἐδονεῖτο μέγας φόβος· οἱ δ' ὑπὲρ αὐτέων
Ἄνδρες ἐμαρνάσθην, πολεμήϊα τεύχε' ἔχοντες.
Τοὶ μὲν ἀπὸ σφετέρης πόλιος σφετέρων τε τοκήων
Λοιγὸν ἀμύνοντες· τοὶ δὲ πραθέειν μεμαῶτες·
Πολλοὶ μὲν κέατο, πλέονες δ' ἔτι δῆριν ἔχοντες,
Μάρνανθ'. αἱ δὲ γυναῖκες ἐϋδμήτων ἐπὶ πύργων
Χάλκεον ὀξὺ βόων, κατὰ δ' ἐδρύπτοντο παρειάς,
Ζωῇσιν ἴκελαι, ἔργα κλυτοῦ Ἡφαίστοιο.
Ἄνδρες δ' οἳ πρεσβῆες ἔσαν, γῆράς τε μέμαρπον,
Ἀθρόοι ἔκτοσθεν πυλέων ἔσαν, ἂν δὲ θεοῖσι

Χεῖρας ἔχον μακάρεσσι, περὶ σφετέροισι τέκεσσι
Δειδιότες· τοὶ δ' αὖτε μάχην ἔχον, αἱ δὲ μετ' αὐτοὺς
Κῆρες κυάνεαι, λευκοὺς ἀραβεῦσαι ὀδόντας,
Δεινωποὶ, βλοσυροί τε, δαφοινοί τ', ἄπλητοί τε
Δῆριν ἔχον περὶ πιπτόντων. πᾶσαι δ' ἄρ' ἵεντο
Αἷμα μέλαν πιέειν· ὃν δὲ πρῶτον μεμάποιεν
Κείμενον ἢ πίπτοντα νεούτατον, ἀμφὶ μὲν αὐτῷ
Βάλλ' ὄνυχας μεγάλους. ψυχὴ δ' ἄϊδόςδε κατεῖεν
Τάρταρον ἐς κρυόενθ'. αἱ δὲ φρένας εὖτ' ἀρέσαντο
Αἵματος ἀνδρομέου, τὸν μὲν ῥίπτασκον ὀπίσσω,
Ἂψ δ' ὅμαδον καὶ μῶλον ἐθύνεον αὖτις ἰοῦσαι.
Κλωθὼ καὶ Λάχεσίς σφιν ἐφέστασαν· ἡ μὲν ὑφήσσων,
Ἄτροπος, οὔτι πέλεν μεγάλη θεὸς, ἄλλα καὶ ἔμπης
Τῶν γε μὲν ἀλλάων προφερής τ' ἦν πρεσβυτάτη τε.
Πᾶσαι δ' ἀμφ' ἑνὶ φωτὶ μάχην δριμεῖαν ἔθεντο.
Δεινὰ δ' ἐς ἀλλήλας δράκον ὄμμασι θυμήνασαι,
Ἐν δ' ὄνυχας χεῖράς τε θρασείας ἰσώσαντο.
Πὰρ δ' Ἀχλὺς εἱστήκει ἐπισμυγερή τε καὶ αἰνὴ,
Χλωρὴ, αὐσταλέη, λιμῷ καταπεπτηυῖα,
Γουνοπαχής· μακροὶ δ' ὄνυχες χείρεσσιν ὑπῆσαν.
Τῆς ἐκ μὲν ῥινῶν μύξαι ῥέον, ἐκ δὲ παρειῶν
Αἷμ' ἀπελείβετ' ἔραζε. ἡ δὲ ἄπλητον σεσαρυῖα
Εἱστήκει· πολλὴ δὲ κόνις κατενήνοθεν ὤμους,



Δάρκυσι μυδαλέη· παρὰ δ' εὔπυργος πόλις ἀνδρῶν.
Χρύσειαι δέ μιν εἶχον ὑπερθυρίοις ἀραρυῖαι
Ἑπτα πύλαι. τοὶ δ' ἄνδρες ἐν ἀγλαΐαις τε χοροῖς τε
Τέρψιν ἔχον. τοὶ μὲν γὰρ ἐϋσσώτρου ἐπ' ἀπήνης
Ἦγοντ' ἀνδρὶ γυναῖκα· πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει.
Τῆλε δ' ἀπ' αἰθομένων δαΐδων σέλας εἰλύφαζε
Χερσὶν ἐνὶ δμώων. ταὶ δ' ἀγλαΐῃ τεθαλυῖαι
Πρόσθ' ἔκιον· ταῖσιν δὲ χοροὶ παίζοντες ἕποντο.
Τοὶ μὲν ὑπαὶ λιγυρῶν συρίγγων ἵεσαν αὐδὴν
Ἐξ ἁπαλῶν στομάτων, περὶ δέ σφισιν ἄγνυτο ἠχώ.
Αἱ δ' ὑπὸ φορμίγγων ἄναγον χορὸν ἱμερόεντα·
Ἔνθεν δ' αὖθ' ἑτέρωθε νέοι κώμαζον ὑπ' αὐλοῦ,
Τοίγε μὲν αὖ παίζοντες ὑπ' ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ,
Τοίγε μὲν αὖ γελόωντες, ὑπ' αὐλητῆρι δ' ἕκαστος,
Πρόσθ' ἔκιον· πᾶσαν δὲ πόλιν θαλίαι τε χοροί τε
Ἀγλαΐαι τ' εἶχον. τοὶ δ' αὖ προπάροιθε πόληος
Νῶθ' ἵππων ἐπιβάντες ἐθύνεον. οἱ δ' ἀροτῆρες
Ἤρεικον χθόνα δῖαν, ἐπιστολάδην δὲ χιτῶνας
Ἐστάλατ'. αὐτὰρ ἔην βαθὺ λήϊον. οἵγε μὲν ἤμων
Αἰχμῆς ὀξείῃσι κορωνιόωντα πέτηλα
Βριθόμενα σταχύων, ὡσεὶ Δημητερος ἀκτήν.
Οἱ δ' ἄρ ἐν ἐλλεδανοῖσι δέον, καὶ ἔπιπλον ἀλωήν.
Οἱ δ' ἐτρύγων οἴνας, δρεπάνας ἐν χερσὶν ἔχοντες·

Οἱ δ' αὖτ' ἐς ταλάρους ἐφόρευν ὑπὸ τρυγητήρων
Λευκοὺς καὶ μέλανας βότρυας, μεγάλων ἀπὸ ὄρχων,
Βριθομένων φύλλοισι καὶ ἀργυρέης ἑλίκεσσιν.
Οἱ δ' αὖτ' ἐς ταλάρους ἐφόρευν. παρὰ δέ σφισιν ὄρχος
Χρύσεος ἦν, (κλυτὰ ἔργα περίφρονος Ἡφαίστοιο)
Σειόμενος φύλλοισι καὶ ἀργυρέοισι κάμαξι.
Τῷ γε μὲν οὖν παίζοντες ὑπ' αὐλητῆρι ἕκαστος
Βριθόμενος σταφυλῆσι· μελάνθησάν γε μὲν αἵδε.
Οἵγε μὲν ἐτράπεον, τοὶ δ' ἤρυον· οἱ δ' ἐμάχοντο
Πύξ τε καὶ ἑλκηδόν. τοὶ δ' ὠκύποδας λαγὸς ᾕρευν
Ἄνδρες θηρευταὶ, καὶ καρχαρόδοντε κύνε πρὸ,
Ἱέμενοι μαπέειν, οἱ δ' ἱέμενοι ὑπαλύξαι·
Πὰρ δ' αὐτοῖς ἱππῆες ἔχον πόνον, ἀμφὶ δ' ἀέθλοις
Δῆριν ἔχον καὶ μόχθον. ἐϋπλεκέων δ' ἐπὶ δίφρων
Ἡνίοχοι βεβαῶτες ἐφίεσαν ὠκέας ἵππους,
Ῥυτὰ χαλαίνοντες· τὰ δ' ἐπικρατέοντα πέτοντο
Ἅρματα κολλήεντ', ἐπὶ δὲ πλῆμναι μέγ' ἀΰτευν.
Οἱ μὲν ἄρ' ἀίδιον εἶχον πόνον. οὐδέ ποτέ σφιν
Νίκη ἐπενύσθη, ἀλλ' ἄκριτον εἶχον ἄεθλον.
Τοῖσι δὲ καὶ προὔκειτο μέγας τρίπος ἐντὸς ἀγῶνος,
Χρύσειος, κλυτὰ ἔργα περίφρονος Ἡφαίστοιο.
Ἀμφὶ δ' ἴτυν ῥέεν Ὠκεανὸς πλήθοντι ἐοικώς·
Πᾶν δὲ συνεῖχε σάκος πολυδαίδαλον. οἱ δὲ κατ' αὐτὸν

Κύκνοι ἀερσιπόται μεγάλ' ἤπυον· οἵ ῥά γε πολλοὶ
Νῆχον ἐπ' ἄκρον ὕδωρ. πὰρ δ' ἰχθύες ἐκλονέοντο,
Θαῦμα ἰδεῖν καὶ Ζηνὶ βαρυκτύπῳ, οὗ διὰ βουλὰς
Ἥφαιστος ποίησε σάκος μέγα τε στιβαρόν τε,
Ἀρσάμενος παλάμησι, τὸ μὲν Διὸς ἄλκιμος υἱὸς
Πάλλεν ἐπικρατέως· ἐπὶ δ' ἱππείου θόρε δίφρου,
Εἴκελος ἀστεροπῇ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο,
Κοῦφα βιβάς· τῷ δ' ἡνίοχος κρατερὸς Ἰόλαος
Δίφρου ἐπεμβεβαὼς ἰθύνετο καμπύλον ἅρμα.
Ἀγχίμολον δέ σφ' ἦλθε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
Καί σφέας θαρσύνουσ' ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
Χαίρετε Λυγγῆος γενεὴ τηλεκλειτοῖο,
Νῦν δὴ Ζεὺς κράτος ὔμμι διδοῖ, μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Κύκνον τ' ἐξεναρεῖν καὶ ἀπὸ κλυτὰ τεύχεα δῦσαι.
Ἄλλο δέ σοι τὶ ἔπος ἐρέω μέγα φέρτατε λαῶν·
Εὖτ' ἂν δὴ Κύκνον γλυκερῆς αἰῶνος ἀμέρσῃς,
Τὸν μὲν ἔπειτ' αὐτοῦ λιπέειν καὶ τεύχεα τοῖο·
Αὐτὸς δὲ βροτολοιγὸν Ἄρην ἐπιόντα δοκεύσας,
Ἔνθά κε γυμνωθέντα σάκευς ὑπὸ δαιδαλέοιο
Ὀφταλμοῖσιν ἴδῃς, ἔνθ' οὐτάμεν ὀξέϊ χαλκῷ.
Ἂψ δ' ἀναχάσσασθαι· ἐπεὶ οὐ νύ τοι αἴσιμόν ἐστιν
Οὔθ' ἵππους ἑλέειν, οὔτε κλυτὰ τεύχεα τοῖο.
Ὣς εἰποῦσ' ἐς δίφρον ἐβήσατο δῖα θεάων,

Νίκην ἀθανάτῃς χερσὶν καὶ κῦδος ἔχουσα,
Ἐσσυμένως. τότε δή ῥα διόγνητος Ἰόλαος
Σμερδαλέον θ' ἵπποισιν ἐκέκλετο· τοὶ δ' ὑπ' ὁμοκλῆς
Ῥίμφ' ἔφερον θοὸν ἅρμα, κονίοντες πεδίοιο.
Ἐν γάρ σφιν μένος ἧκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
Αἰγίδ' ἀνασσείσασα· περιστονάχιζε δὲ γαῖα.
Τοὶ δ' ἅμυδις προγένοντ' ἴκελοι πυρὶ ἠὲ θυέλλῃ,
Κύκνος θ' ἱππόδαμος καὶ Ἄρης ἀκόρητος ἀϋτῆς.
Τῶν θ' ἵπποι μὲν ἔπειτ' ὑπεναντίοι ἀλλήλοισιν
Ὀξεῖα χρέμισαν, περὶ δέ σφιν ἄγνυτο ἠχώ.
Τὸν πρότερον προσέειπε βίη Ἡρακληείη·
Κύκνε πέπον, τί νυ νῶϊν ἐπίσχετον ὠκέας ἵππους,
Ἀνδράσιν, οἵ τε πόνου καὶ ὀϊζύος ἴδριες εἰμέν;
Ἀλλὰ πάρεξ ἔχε δίφρον ἐΰξοον, ἠδὲ κελεύθου
Εἶκε πάρεξ ἰέναι. Τρηχῖνα δέ τοι παρελαύνω
Ἐς Κήϋκα ἄνακτα. ὁ γὰρ δυνάμει τε καὶ αἰδοῖ
Τρηχῖνος προβέβηκε, σὺ δ' εὖ μάλα οἶσθα καὶ αὐτός·
Τοῦ γὰρ ὀπύιεις παῖδα Θεμιστονόην κυανῶπιν.
Ὦ πέπον, ὸν μὲν γάρ τοι Ἄρης θανάτοιο τελευτὴν
Ἀρκέσει, εἰ δὴ νῶϊ συνοισόμεθα πτολεμίζειν.
Ἤδη μέν τέ ἑ φημὶ καὶ ἄλλοτε πειρηθῆναι
Ἔγχεος ἡμετέρου, ὅθ' ὑπὲρ Πύλου ἠμαθόεντος
Ἀντίος ἔστη ἐμεῖο, μάχης ἄμοτον μενεαίνων.

Τρὶς μὲν ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἠρείσατο γαίῃ,
Οὐταμένου σάκεος· τὸ δὲ τέτρατον, ἤλασα μηρὸν,
Παντὶ μένει σπεύδων, διὰ δὲ μέγα σάκος ἄραξα·
Πρηνὴς δ' ἐν κονίῃσι χαμαὶ πέσεν ἔγχεος ὁρμῇ.
Ἔνθά κε δὴ λωβητὸς ἐν ἀθανάτοισιν ἐτύχθη,
Χερσὶν ὑφ' ἡμετέρῃσι λιπὼν ἔναρα βροτόεντα·
Ὣς ἔφατ'· οὐδ' ἄρα Κύκνος ἐϋμμελίης ἐμενοίνα
Τῷ ἐπιπειθόμενος ἐχέμεν ἐρυσάρματας ἵππους.
Δὴ τότ' ἀπ' εὐπλεκέων δίφρων θόρον αἶψ' ἐπὶ γαῖαν
Παῖς τε Διὸς μεγάλου, καὶ ἐνυαλίοιο ἄνακτος.
Ἡνιόχοι δ' ἔμπλην ἔλασαν καλλίτριχας ἵππους·
Τῶν δ' ὑποσευομένων κανάχιζε πόσ' εὐρεῖα χθών.
Ὡς δ' ὅτ' ἀφ' ὑψηλῆς κορυφῆς ὄρεος μεγάλοιο
Πέτραι ἀποθρώσκωσιν, ἐπ' ἀλλήλαις δὲ πέσωσι,
Πολλαὶ δὲ δρῦς ὑψίκομοι, πολλαὶ δέ τε πεῦκαι,
Αἴγειροί τε τανύῤῥιζοι ῥήγνυνται ὑπ' αὐτῶν
Ῥίμφα κυλινδομένων, εἵως πεδίον δ' ἀφίκωνται·
Ὡς οἳ ἐπ' ἀλλήλοισι πέσον μέγα κεκλήγοντες.
Πᾶσα δὲ Μυρμιδόνων τε πόλις κλειτή τ' Ἰαωλκὸς,
Ἄρνη τ', ἠδ' Ἑλίκη, Ἄνθειά τε ποιήεσσα
Φωνῇ ὑπ' ἀμφοτέρων μεγάλ' ἴαχον. οἱ δ' ἀλαλητῷ
Θεσπεσίῳ σύνισαν. μέγα δ' ἔκτυπε μητίετα Ζεὺς,
Κὰδ δ' ἄρ' ἀπ' οὐρανόθεν ψιάδας βάλεν αἱματοέσσας,

Σῆμα τιθεὶς πολέμοιο ἐῷ μεγαθαρσέϊ παιδί.
Οἷος δ' ἐν βήσσῃς ὄρεος χαλεϖὸς προϊδέσθαι
Κάϖρος χαυλιόδων φρονέει θυμῷ μαχέσασθαι
Ἀνδράσι θηρευῖῆς, θήγει δέ τε λευκὸν ὀδόντα
Δοχμωθεὶς, ἀφρὸς δὲ περὶ σῖόμα μασῖιχόωντι
Λείβεται, ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμϖετόωντι ἐΐκτην,
Ὀρθὰς δ' ἐν λοφιῇ φρίσσει τρίχας ἀμφί τε δειρήν·
Τῷ ἴκελος Διὸς υἱὸς ἀφ' ἱπϖείου θόρε δίφρου.
Ἦμος δὲ χλοερῷ κυανόϖῖερος ἠχέτα τέτῖιξ
Ὄζῳ ἐφεζόμενος θέρος ἀνθρώποισιν ἀείδειν
Ἄρχεται, ᾧ τε πόσις καὶ βρῶσις θῆλυς ἐέρση,
Καί τε πανημέριός τε καὶ ἠῷος χέει αὐδὴν
Ἴδει ἐν αἰνοτάτῳ, ὁϖότε χρόα Σείριος ἄζει.
Τῆμος δὴ κέγχροισι περὶ γλῶχες τελέθουσι
Τούς τε θέρει σϖείρουσιν, ὅτ' ὄμφακες αἰόλλονῖαι,
Οἷα Διώνυσος δῶκ' ἀνδράσι χάρμα καὶ ἄχθος·
Τὴν ὥρην μάρνανῖο, πολὺς δ' ὀρυμαγδὸς ὀρώρει.
Ὡς δὲ λέονῖε δύω ἀμφὶ κταμένης ἐλάφοιο
Ἀλλήλοις κοτέοντε, ἐϖὶ σφέας ὁρμήσωσι,
Δεινὴ δέ σφ' ἰαχῇ ἄραβός θ' ἅμα γίνετ' ὀδόντων·
Οἱ δ' ὥς τ' αἰγυϖιοὶ γαμψώνυχες ἀγκυλοχεῖλαι,
Πέτρῃ ἐφ' ὑψηλῇ μεγάλα κλάζοντε μαχέσθην
Αἰγὸς ὀρεσσινόμου ἢ ἀγροτέρης ἐλάφοιο

Πίονος, ἥν τ' ἐδάμασσε βαλὼν αἰζήϊος ἀνὴρ
Ἰῷ ἀπαὶ νευρῆς, αὐτὸς δ' ἀπαλήσεται ἄλλη
Χώρου ἄϊδρις ἐών· οἱ δ' ὀτραλέως ἐνόησαν,
Ἐσσυμένως δέ οἱ ἀμφὶ μάχην δριμεῖαν ἔθεντο·
Ὣς οἱ κεκληγόντες ἐπ' ἀλλήλοισιν ὄρουσαν·
Ἔνθ' ἤτοι Κύκνος μὲν ὑπερμενέος Διὸς υἱὸν
Κτεινέμεναι μεμαὼς, σάκει ἔμβαλε χάλκεον ἔγχος·
Οὐδ' ἔῤῥηξεν χαλκόν· ἔρυτο δὲ δῶρα θεοῖο.
Ἀμφιτρυωνιάδης δὲ βίη Ἡρακληείη
Μεσσηγὺς κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἔγχεϊ μακρῷ
Αὐχένα γυμνωθέντα θοῶς ὑπένερθε γενείου
Ἧλασ' ἐπικρατέως· ἀπὸ δ' ἄμφω κέρσε τένοντε
Ἀνδροφόνος μελίη· μέγα γὰρ σθένος ἔμπεσε φωτός.
Ἤριπε δ', ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν, ἢ ὅτε πέτρη
Ἠλίβατος, πληγεῖσα Διὸς ψολοέντι κεραυνῷ.
Ὣς ἔριπ'. ἀμφὶ δέ οἱ βράχε τεύχεα ποικίλα χαλκῷ.
Τὸν μὲν ἔπειτ' εἴασε Διὸς ταλακάρδιος υἱός.
Αὐτὸς δὲ βροτολοιγὸν Ἄρην ἐπιόντα δοκεύσας,
Δεινὸν ὁρῶν ὄσσοισι, λέων ὡς σώματι κύρσας,
Ὅς τε μάλ' ἐνδυκέως ῥινὸν κρατεροῖς ὀνύχεσσι
Σχίσσας ὅττι τάχιστα, μελίφρονα θυμὸν ἀπηύρα·
Ἐμμενέως δ' ἄρα τοῦ γε κελαινὸν πίμπλαται ἦτορ.
Γλαυκιόων δ' ὄσσοις δεινὸν, πλευράς τε καὶ ὤμους

Οὐρῇ μαστίγων, ποσσὶ γλάφει· οὐδέ τις αὐτὸν
Ἔτλη ἐς ἄντα ἰδὼν σχεδὸν ἐλθεῖν, οὐδὲ μάχεσθαι.
Τοῖος ἄρ' Ἀμφιτρυωνιάδης ἀκόρητος ἀϋτῆς
Ἀντίος ἔστη Ἄρηος. ἐνὶ φρεσὶ θάρσος ἀέξων
Ἐσσυμένως. ὁ δὲ οἱ σχεδὸν ἤλυθεν ἀχνύμενος κῆρ
Ἀμφότεροι δ' ἰάχοντες ἐπ' ἀλλήλοισιν ὄρουσαν.
Ὡς δ' ὅτ' ἀπαὶ μεγάλου πέτρη πρηῶνος ὀροῦσα,
Μακρὰ δ' ἐπιθρώσκουσα κυλίνδεται, ἡ δέ τε ἠχὴ
Ἔρχεται ἐμμεμαυῖα, πάγος δέ οἱ ἀντεβόλησεν
Ὑψηλὸς, τῷ δὴ συνενείκεται, ἔνθα μιν ἴσχει·
Τόσση ὁ μὲν ἰαχῇ βρισάρματος οὔλιος Ἄρης
Κεκληγὼς ἐπόρουσεν· ὁ δ' ἐμμαπέως ὑπέδεκτο.
Αὐτὰρ Ἀθηναίη κούρη Διὸς αἰγιόχοιο
Ἀντίη ἤλθεν Ἄρηος, ἐρεμνὴν αἰγίδ' ἔχουσα,
Δεινὰ δ' ὑπόδρα ἰδοῦσ' ἔπεα πτερόεντα προσηύδα.
Ἄρες ἐπίσχε μένος κρατερὸν καὶ χεῖρας ἀάπτους.
Οὐ γάρ τοι θέμις ἐστὶν ἀπὸ κλυτὰ τεύχεα δῦσαι
Ἡρακλέα κτείναντα Διὸς θρασυκάρδιον υἱόν.
Ἀλλ' ἄγε παῦε μάχης, μηδ' ἀντίος ἵστασ' ἐμεῖο.
Ὣς ἔφατ'· ἀλλ' οὐ πεῖθ' Ἄρεως μεγαλήτορα θυμόν.
Ἀλλὰ μέγα ἰάχων, φλογὶ εἴκελα τεύχεα πάλλων,
Καρπαλίμως ἐπόρουσε βίῃ Ἡρακληείῃ,
Κακτάμεναι μεμαώς· καί ῥ' ἔμβαλε χάλκεον ἔγχος

Σπερχνὸν, ἑοῦ παιδὸς κοτέων περὶ τεθνειῶτος,
Ἐν σάκεϊ μεγάλῳ. ἀπὸ δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη
Ἔγχεος ὁρμὴν ἔτραπ', ὀρεξαμένη ἀπὸ δίφρου.
Δριμὺ δ' Ἄρην ἄχος εἷλεν· ἐρυσσάμενος δ' ἄορ ὀξὺ,
Ἔσσυτ' ἐφ' Ἡρακλῆϊ κρατερόφρονι. τὸν δ' ἐπιόντα
Ἀμφιτρυωνιάδης δεινῆς ἀκόρητος ἀϋτῆς,
Μηρὸν γυμνωθέντα σάκευς ὑπὸ δαιδαλέοιο,
Οὔτασ' ἐπικρατέως· διὰ δὲ μέγα σάκος ἄραξεν,
Δούρατι νωμήσας, ἐπὶ δὲ χθονὶ κάββαλε μέσσῃ.
Τῷ δὲ Φόβος καὶ Δεῖμος ἐΰτροχον ἅρμα καὶ ἵππους
Ἤλασαν αἶψ' ἔγγυς, καὶ ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης
Ἐς δίφρον θῆκαν πολυδαίδαλον· αἶψα δ' ἔπειτα
Ἵππους μαστιέτην, ἵκοντο δὲ μακρὸν Ὄλυμπον.
Υἱὸς δ' Ἀλκμήνης καὶ κυδάλιμος Ἰόλαος,
Κύκνον σκυλεύσαντες ἀπ' ὤμων τεύχεα καλὰ
Νίσσοντ'· αἶψα δ' ἔπειτα πόλιν Τρηχῖνος ἵκοντο
Ἵπποις ὠκυπόδεσσιν. ἀτὰρ γλαυκῶπις Ἀθήνη
Ἐξίκετ' Οὔλυμπόν τε μέγαν καὶ δώματα πατρός.
Κύκνον δ' αὖ Κήυξ θάπτεν, καὶ λαὸς ἀπείρων,
Οἵ ῥ' ἐγγὺς ναῖον πόλιος κλειτοῦ βασιλῆος,
Ἄντην, Μυρμιδόνων τε πόλιν, κλειτήν τ' Ἰαωλκὸν,
Ἄρνην τ', ἠδ' Ἑλίκην· πολλὸς δ' ἠγείρετο λαὸς,
Τιμῶντες Κήϋκα, φίλον μακάρεσσι θεοῖσι.

Τοῦ δὲ τάφον καὶ σῆμ' ἀϊδὲς ποίησεν Ἄναυρος,
Ὄμβρῳ χειμερίῳ πλήθων. τὼς γάρ μιν Ἀπόλλων,
Λητοΐδης ἤνωξ', ὅτι ῥὰ κλειτὰς ἑκατόμβας
Ὅς τις ἄγοι Πυθοῖδε, βίῃ σύλασκε δοκεύων.

ΤΕΛΟΣ.



HESIODI

ASCRAEI

OPERA OMNIA


LATINIS VERSIBVS EXPRESSA

ATQVE ILLVSTRATA

A

BERNARDO ZAMAGNA

RAGVSINO.





EX REGIO PARMENSI TYPOGRAPHIO

---

cIↄ. Iↄcc. xc. vII

PRAESIDVM LICENTIA.

HESIODI

ASCRAEI

DEORVM GENERATIO.

AD LECTOREM

DE HESIODO

EIVSQVE THEOGONIA.

Postquam Homeri *Odysseam* latinis expressi versibus, eamque in lucem edidi, me ad Hesiodum converti, eiusque primum *Herculis Scutum*, tum *Opera et Dies* poetica latinitate donavi, dedique hoc utrumque carmen in manus hominum. Nunc vero eodem modo *Theogonia*, seu *Deorum Generatione* adornata, tertio Hesiodi carmine, absolutam antiquissimi poetae operam, quae e multis ab eo conscriptis supersunt sola, editionem aggredior. Et quoniam graves viri eruditique complures, quorum auctoritas apud me valet plurimum semperque valebit, non defuere, qui cum mea versione ipsos graecos Hesiodi versus coniunctos desiderarent, ut uno tamquam intuitu possent in-

ter me et Hesiodum comparationem instituere, deque fide, qua in eiusdem sententiis alia lingua poetice exprimendis sum usus, iudicare; eorum cessi voluntati, praesertim quum et iure uterentur suo, nec aliena a me, aut iniusta flagitarent. Quare habes heic et graeca Hesiodi carmina, quemadmodum impressa exstant in editione Graeviana, quae ceteris multo habetur accuratior, et simul eadem versibus a me latine reddita atque illustrata eo studio, quo certe potui maximo, pro ingenii mei tenuitate ac exigua eruditionis copia. Scio (1) quidem id operis et ab aliis viris doctissimis, quos apud Fabricium videre potes, fuisse iamdiu factum, et ipsorum ego sollertiam nec parvi facio, nec contemnendam puto, quamvis videantur aliqui perfectius quiddam desiderare, si ad graecae linguae latinaeque scientiam maior Virgilianae dictionis imitatio, et quidam carminum veluti concentus, quae duo fortasse deerant, adiungerentur. Suus tamen per me cuique ex his

(1) Vide Fabricii *G. Bibl.* lib. II, atque adde alteram editionem praetermissam ab eo et Nicolai de Valle (Brixiae 1499), et Bonini Mombritii (Lugduni 1550). Alter horum *Opera et Dies*, alter *Theogoniam* vertit; exstantque Venetiis in Bibl. Apost. Zeni eaedem editiones.

scriptoribus sit honor, sua fama stet atque laus: nihil a me cuiquam celebritatis, quam consequuti sunt, imminutum volo. Id unum ego, quod nemo facile non concedendum arbitrabitur, peto, ut quod illis bona doctorum hominum venia facere licuit, mihi etiam sine cuiusquam invidia atque offensione liceat experiri. Si quam forte singularem in me animadvertant diligentiam, latineque scribendi elegantiam, laudent hasce litteras fere intermortuas suscitandi desiderium, curamque in optimis poetis legendis imitandisque non frustra positam. Sin autem oscitantem videant ac sine numeris lutulentumque fluere, despiciant arrogantiam, ac turpissimam temporis otiique, quod institutae mihi concedit vitae ratio, iacturam vituperent. Verum hisce omissis, quae ad aliorum iudicium spectant, aliquid heic dicendum arbitror de Hesiodi primum vita, de qua nihil scripseram, quum *Opera et Dies, Scutumque Herculis* edidissem, tum de ipsius *Theogonia*: in qua utraque re ita me geram, ut brevitati maximopere consulam, eorumque perstringam summa veluti capita, quae ab aliis iam dicta sunt. Novi enim parum aut fere nihil, quod dicam, in tanta hominum copia, qui iisdem ante me de rebus

conscripserunt, relictum est. Itaque a primo exordiamur.

Natus est Hesiodus Dio patre Ampelidis filio, qui ex Menalopo Ithogenaeo Critonis filio originem ducebat, et matre Pycimede; Cumaene, quae urbs inter Aeolicas est, an in Ascra Boeotiae vico ad Heliconis radices, omnino incertum. Cumaeus et Ascraeus ab antiquis dicitur scriptoribus. Dio quidem eius patri Cuma patria est: qua relicta vel quod esset alieno oppressus aere, nec haberet, unde nomina dissolveret, vel quod aliquo crimine, et fortasse caedis, cui fuga atque exilio consulendum, teneretur, vel denique quod loci mutatione speraret fortunarum etiam mutationem consequuturum, in Ascram Boeotiae se contulit, ibique consedit cum fratre seu Atella seu Mocone. Fieri igitur potest, ut prius quam ex antiqua sede Dius demigrasset, ei fuerit iam natus filius Hesiodus, idemque tunc recte Cumaeus, uti pater, appellaretur: sed aeque facile, immo etiam si Plutarcho fides, qui Ascraeam facit Pycimeden, verosimilius fieri potuit, ut in Ascram non sit puer deportatus, at ibidem et generatus et natus, ob eamque caussam Ascraeus potius habendus sit. Verum haec minutiora: seu natus in Ascra sit

Hesiodus, seu tantum educatus, parum refert. Vixit certe in eo vico prius obscuro, postea maximam eius carminum gloria celebritatem adepto. Exiguas habuit fortunas: nam et humili loco, et pauperibus natus erat parentibus, et praeterea bona [1], quae ipsi ex patris haereditate obvenerant, a fratre [2] seu patruele Persa homine maxime rapaci ac litium cupido magna ex parte fuerunt adempta. Eam autem exercuit facultatem, quae admodum paucos quovis tempore locupletavit, poesim nimirum, divinam artem sed inopem. Pastoritiam in ipso aetatis initio vitam egit: quod iis temporibus, quibus et ipse vixit et Homerus, nec ipsis regum filiis turpe erat facere aut inhonestum. Quo antiquiora

---

(1) Ita ipse Hesiodus *Oper. et Dier.* v. 46 inquit:

„ Iam patrios census divisimus: ipse tulisti
„ Praeterea rapiens tibi multa, invertere hiantum
„ Muneribus largis aggressus pectora regum,
„ Nos inter volucre ortam qui cernere litem.

(2) Dixi *a fratre* seu *patruele*; nam vates ad Persam loquens v. 784 *Oper. et Dier.* ait obscurius:

„ Non aliter genitorque meus, stultissime Persa,
„ Atque tuus pelagi sulcabat caerula pinu.

Ubi quum non dicat *noster pater*, sed *meus* et *tuus*, videtur distinctionem facere, et potius significare Persam non e Dio, cuius Hesiodus erat filius, sed ex eius fratre natum.

nempe tempora, eo et mollities rarior, et mores hominum simpliciores. Adolescens vero, quod a natura, credo, ad poesim maxime ferretur, ingenioque abundaret acutissimo, vel suo ipse ductu compulsus, vel a parentibus amicisque ita iussus, totum se contulit ad litterarum studia, vatesque, quantum nunc admiramur, evasit. Ille quidem se, ut id faceret, a Musis, quas impense coluit, dicato etiam in Helicone (1) earumdem honori tripode, quem dono victor acceperat, fecisse persuasum refert: nos vero poetae, qui a Musis mentiri etiam se didicisse testatur, sine ulla urbanitatis offensione nequaquam tenemur credere. Quod eius carmina elegantissima ac multis non vulgaris doctrinae luminibus distincta liquido ostendunt, id solum pro com-

(1) Sic in *Oper. et Dier.* v. 813 ait:

„ Meque adeo dulci victorem carmine vidit
„ Auritum tripodem ferre admirata iuventus,
„ Quem rediens sacrum Musis Helicone dicavi.

Porro et inscriptio tripodi apposita ab Hesiodo circumfertur, et apud Dionem, interque graeca legitur epigrammata:

Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκε
Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.

Sed eam ego fictam ac suppositam duco, quemadmodum et viri docti complures. Vera enim si esset, nulla iam controversia haberetur de utriusque aetate.

perto habeatur. Haec autem maximos eum fecisse progressus et in ea philosophiae parte, quae ad astrorum pertinet scientiam, quamque in rebus georgicis pertractandis passim adhibet; et in ea, quae ad res divinas mundique spectat opificium, quamque allegoriis involvit potius quam exornavit in Deorum generatione; et in ea demum, quae versatur in moribus vitaque recte instituenda in hominum societate, cuiusque praecepta optima ubique tradit, clarissime certissimeque docent. Fuit praeterea in rerum nominumque antiquitate scientissimus, et in carminum sono ad aurium voluptatem accommodando plane admirabilis: ut eum recte dixerit Dionysius Halicarnassaeus et voluptatis et aequabilis dictionis et verborum collocationis vehementer studiosum; et Velleius Paterculus vocaverit perelegantis ingenii virum et mollissima dulcedine carminum memorabilem; et ipse Fabius Quinctilianus, quamvis neget eumdem crebro assurgere, quod Homeri proprium est, tamen fateatur utiles habere circa praecepta sententias, lenitatemque verborum et expositionis probabilem, palmamque in illo mediocri genere promereri. Ionica plerumque dialecto est delectatus, quae ut aliis vocalium concursu

abundantior, ita est pronunciatu audituque mollior. Multa scripsit ac varia [1]: sed ex sexdecim operibus, quae scripsisse dicitur, solum tria nec ea integra ad nos pervenerunt. Ea tamen huiusmodi sunt, ut multiplicem exquisitamque, quae in iis continetur, doctrinam multi admirati non dubitarint memoriae prodere, ipsi opus fuisse multas suscipere peregrinationes, quemadmodum et ab Homero factum accepimus, et longinquas erudiendi sese mysteriisque praesertim Aegyptiis imbuendi gratia regiones petere. Quod ego nec concedere, nec omnino negare ausim: nam quamvis ipse profiteatur se numquam navigasse, nisi quando ex Aulidis portu [2] in Euboeam traiecit illuc invitatus ad ludos, qui in

(1) Praeter *Theogoniam* et *Scutum Herculis*, de quibus aliqui dubitasse videntur, an essent genuina Hesiodi carmina, ac *Opera et Dies*, nominantur a Tzetze, aliisque grammaticis alia carmina, de Heroum nempe et Heroidum Genealogiis, de Vaticinandi arte, de Mulierum laudibus, de Pelei et Thetidis nuptiis, de Dactylis Idaeis, de Medicina, de Herbis, de Batracho amico, in quem scripsisse dicitur Epicedium, de Chirone, de Astronomia, de Telluris periodo, de Theseo, de Aegimio, de divinis Sermonibus etc., quae omnia in Fabr. *Bibl. Gr.* videre potes lib. II cap. 8, ubi multo plura invenies.

(2) Lege *Oper. et Dier.* v. 804 et seq. in mea versione.

funere Amphidamantis regio instruebantur, in quibus et vicit cantu; tamen id fecit fortasse post absolutum *Operum et Dierum* carmen, in quo ita de se testabatur. Magnam certe Graeciae partem invisisse credibile est, sapientissimorumque hominum usum esse consuetudine. Ctemenen Physigei [1] filiam sororemque Amphiphanis et Ganyctoris duxisse uxorem a quibusdam dicitur, a qua filium, ut fama est, suscepit Stesichorum poetam et ipsum celebrem. Quidam autem hanc non eius coniugem, sed tantum amicam fuisse putant. Certe filius videtur ei natus esse: filii [2] enim mentionem facit in *Operibus*. In Ascra ut plurimum latuit, Ascraeisque suis popularibus non usus est amicissimis, a quibus et mulctatus fuisse fertur sive invidia

(1) Quam Ctemenen multi dixerunt, alii vocant Climenen vel Archiepen. Sed male, ut animadverterunt et Giraldus, et alii. Male etiam et Mnaseas intrusus Hesiodi filius, qui per aliquos non Mnaseas est, sed Mnasea filia. Quos vero dixi fratres Ctemenes et Physigei liberos, dicuntur ab aliis Ganyctoris Naucletii filii Ctimenus et Antiphus. Ita omnia implicata, quae de Hesiodi coniugio et mortis caussa narrantur.

(2) Versu enim *Oper. et Dier.* 315 id ipse innuit inquiens:

„ . . . . non ego iustus,
„ Non amet et natus meus esse, heic omnia quando etc.

in ipsum concitatis, sive Persae accusationibus. Quapropter Ascram [1] quocumque anni tempore incommodam iis, qui in eo vico habitabant, non dubitavit dicere, contra quam fieri solet ab omnibus fere poetis, qui nidulos etiam in saxis rupibusque affixos, qualis erat illa Vlyssis Ithaca, quam vir sapientissimus immortalitati praetulit, dummodo in iis nati sint aut educati, maximis celebrare laudibus atque extollere non desinunt. Quod non ideo solum, quod incredibilem in hominum animis habeat charitatem patria, faciunt, sed ne etiam de eorum patria, quemadmodum de Homeri natali solo, ambigatur. Qua in re non modo patriae, verum suae quoque ipsorum laudi serviunt. Sed horum plerosque, si id reticuissent, facile pateretur respublica. At revertamur ad Hesiodum: sane male sentiebat de patria, quaecumque fuerit illi caussa. Nam multa passim in *Operum et Dierum* carmine de iudicum iniquitate, iudiciorum-

---

(1) Lege v. 790 *Oper. et Dier.* Hinc et Ovidius lib. IV *De Ponto* Eleg. XIV dixit:

„ Esset perpetuo sua quam vitabilis Ascra,
„ Ausa est Argolici Musa docere senis.
„ At fuerat Terra genitus qui scripsit in illa,
„ Intumuit vati nec tamen Ascra suo.

que, quae tum temporis in Ascra exercebantur, perversitate iratior effundit. Ceterum moribus videtur fuisse suavissimis; simplicique quadam sapientia, ac virtutis amore plenus. Proditum est autem non naturae conditione, sed violenta (1) morte decessisse in ultima senectute, ut non solum passim a poetis appelletur senex, verum etiam in proverbium abierit Hesiodia senectus, quam ei apprecamur, quem diutissime vi-

(1) Pausanias quidem in Boeoticis, Filii, inquit, Ganyctoris Ctimenus et Antiphus in Molycrian ex Naupacto fugerunt ob Hesiodi necem, ubi in Neptunum impii existimati sunt, deque illis facta est quaestio. Quod lege apud Giraldum. Plutarchus autem in *Dioclis convivio* paullo aliter, quam est apud ipsum Lil. Giraldum, rem narrat. A Milesio, inquit, Troilo Hesiodi amico apud Locros, ubi hospitabatur, vitiata fuit Hospitis filia: rei conscium Hesiodum rati puellae fratres, sed reticuisse crimen, utrumque in nemore nacti occiderunt, et cadavera in mare proiecerunt. Troili quidem corpus ad oras fluminis Daphnes adhaesit scopulo, qui et nomen ab eo accepit; Hesiodi vero delatum a Delphine in littus, quo tum Locri Neptunalia agebant. Qui quum agnovissent, extulerunt ad humandum, conquisitisque occisoribus, inventisque, vivos aquis suffocarunt. Alii tradunt occisores mari fugam tentasse, sed coorta tempestate omnes naufragio periisse. Itaque primum Hesiodus sepultus fuit a Locris: hinc Alcaeus poëta graecum scripsit epigramma, quod quum fere in omnibus exstet Hesiodi editionibus, latine a me redditum tantum subiiciam:

vere cupimus. In Nemea Locridos primum sepultus perhibetur, ut est in Alcaei carmine; deinde ab Orchomeniis, ita oraculo monente, ferunt eiusdem ossa Orchomenum translata, ibique in medio foro honorifice condita, addito etiam in tumuli fronte ad posteritatis memoriam elogio (1).

„ Hesiodi corpus nemorosa in Locridis umbra
„ Naiades irriguis fontibus abluerunt,
„ Ac tumulum statuere, albo quem rustica pubes
„ Lacte, et commixto mellis honore rigat.
„ Tam dulcis vox namque seni spirabat ab ore
„ Assueto puro rore frui Aonidum.

(1) Admonitus, inquit Plutarchus, ab oraculo Delphico fuerat Hesiodus, ut Nemeam fugeret vitaretque, quumque ipse intelligeret id de Nemea Peloponnesi, venit imprudens in Oenonem Locridis, ubi templum erat Iovis Nemeaei, ibique mortem invenit, sepulcrumque. Orchomenii autem, qui acceperant ab oraculo non prius pestem, qua afflictabantur, cessaturam, quam Hesiodi corpus Orchomenum deportaretur, diligenter inquisierunt a Locris occultatum, deprehenderuntque teste Pausania indicio non hirundinis, ut legit Fabricius et Menagius, sed cornicis, ut constat auctore etiam Luciano Samos. in emendatiore vita Pellegrini. Elogium vero illud graece passim legitur; dabo solum latine:

„ Ascra quidem patria est foecunda, sed ossa perempti
„ Rapta equitum longe servat humus Minyum,
„ Hesiodi, cuius fama it sublimior inter
„ Spectatos aequo iudicio Sophies.

De qua Hesiodii corporis translatione illud etiam Pindari:

„ Salve et pubescens, salve et bis nacte sepulcrum,
„ Hesiode, ante alios laude micans Sophiae.

Sed [1] pleraque, ut quod sentio fatear, quae de eius morte narrantur et a Plutarcho et a Pausania, fabulosa censeo. Quo vero post mortem ubique esset in honore, et ingens interpretum copia, qui eius scripta illustrarunt, inter quos et Zeno est Philosophus, et signa ac monumenta in multis Graeciae urbibus eiusdem nomini erecta, satis luculenter demonstrant. Horum unum a se visum in Iovis Olympii templo Pausanias memorat in Eliacis, alterum in Thespiorum foro, tertium in Helicone sedentis habitu citharamque inter genua continentis efformatum. In publico praeterea Byzantino gymnasio seu Zeuxippo eius ex aere statua visebatur. Quibus honoris non incertis significationibus sat eius fama tuta est contra Cleomenis Anassandriadae, et Pythagorae iniuriosa dicta: quorum alter illum vilissimum servorum vocat, alter eiusdem animam vidisse testabatur ad aeream columnam apud inferos vinctam miserandos eiulatus effundere, quod multa impie atque falso de diis vivus conscripserit. Quam eamdem ob caussam

(1) Inepta enim et illa cornix, quae Orchomeniis sepulcrum detexit, mihi videtur, et pestis, a qua, huiusmodi re facta, liberati sunt ii populi; ne dicam de delphine, qui corpus Hesiodi in terram detulit, deque oraculo etc.

nec apud Platonem bene audit, quamvis hic philosophorum disertissimus Hesiodi nostri et doctrinam saepe admiretur, et sententias adhibeat. Hinc non moror Cercopem, qui excellentis ac prope divini ingenii virum dicitur fuisse solitus exagitare ubique, atque adversus eumdem iniquas exercere controversias, quod victus fortasse ab eo fuerit in carminum concertatione; nec Lucianum, qui etsi multa de eius laudibus dicat, tamen ut est scriptor subsannandi deridendique cupiditate plus iusto flagrans, variis in locis in eius doctrinam invehitur potius, quam iocatur. Vsque adeo verum illud, neminem umquam potuisse omnibus placere. Heic autem petet quispiam, quot annis ante Olympiadum initium vixerit Hesiodus; fueritne aetate Homero posterior, an prior? Plutarchus eum Homero dicit et gloria et tempore proximum, nec Velleius multo aliter sentit, nec Philochorus et Xenophanes apud Gellium. Suidas autem Homero posteriorem centum annis dicit, Solinus centum triginta, Tzetzes quadringentis, et M. Tullius multis ante illum saeculis Homerum vixisse arbitratur. Quare et Giraldius et Salmasius et Clericus et Dodvellus, et ipse Fabricius, aliique Homerum Hesiodo antiquiorem statuerunt. Sed pace

tamen tantorum virorum videamus, num altera sententia, quae Hesiodum vetustiorem [1] asserit, quaeque ipsa Hesiodia etiam scribendi ratione mihi semper niti visa est, verisimilior sit. Ille quidem historiae pater Herodotus de Hesiodi atque Homeri aetate disserens ait *Hist.* libro secundo, eos quadringentis annis sese antiquiores exstitisse. Quare quum Halicarnassensis Herodotus Lyxi vel Xyli filius, Pamphila teste apud Gellium, in Xersis transitu in Graeciam quadriennis esset, ut Dionysius et ipse Halicarnassaeus natum paullo ante Persicum bellum superstitemque usque ad bellum Peloponnesiacum testatur, anni erunt circiter quadringenti ab eodem ad Hesiodum atque Homerum. Itaque principes hi poetae annis circiter centum, si principium Olympiadum iuxta communiorem supputandi rationem anno ante Christum IↃCCLXXVI et Romae cond. XXIII statuatur, ante Olympiadas floruisse debuerunt: tot enim anni sunt ad Olympiadis quinquagesimae quartae exitum, qua Herodotus natus videtur. Sit igitur hoc primum,

(1) Vide hac de re doctissime disserentem Ioan. Rinaldum Carlium in *Epistola ad Hieron. Tartarottum* data, a qua ego fere haec omnia mutuatus sum; et Prideauxium in *Notis ad Marm. Arund.*

Hesiodum ab Herodoto priorem nominari cum Homero, et ipsum Homerum quadringentis ante se annis prodidisse. Sed idem, inquies, in Homeri vita, ad Xersis transitum, pugnamque Salaminiam sexcentos et viginti duos annos enumerat ab Homero nato. Pugnat ergo, nec sibi constat Herodotus. Atqui vel illa vita non est, ut multi existimarunt, ab Herodoto Halicarnassensi scripta, sed ab Herodoto Olophyxio; vel si ab eo scripta est, Scaligeri emendatio, ut monet Corsinius (1) in *Fastis Atticis*, legentis non *ἑξακόσια εἴκοσι δύο*, at simpliciter *ἔτεα τετρακόσια*, adhibenda est. Huiusmodi errorum multa passim exempla. Verum si libet progrediamur, inspiciamusque, quid illa ferunt Oxoniensia marmora graecae eruditionis e Paro advectus thesaurus locupletissimus. In iis dicitur Homerus vixisse ante illorum marmorum conscriptorem annis sexcentis quadraginta tribus. Archon enim Agathocles annis tribus et nonaginta ante ipsum consignatur. Meursius autem dicit, Pausaniam ostendere, Agathoclem Athenis imperasse anno quarto Olimpiadis centesimae quintae, idest annis ante Christum CCCLV. Er-

(1) Tom. III *Fast. Attic.* edit. Flor. pag. 158.

go marmorum scriptor ante Christum annis CCLXIII, et Homerus IↃCCCCVI pariter ante Christum vixit, quamvis Petavius, qui haec marmora videre non potuit, eum dicat floruisse annis ante Ch. circiter CIↃ, et Harduinus (1) vero propius IↃCCCCXX. Quod discrimen profecto tenue est in tanta temporum antiquitate, praesertim si animadvertamus, et illam particulam *circiter* a Petavio appositam, et ab eodem annum duodecimum imperii Megaclis assignari ad IↃCCCCVI annum ante Christum, quo tempore iuxta marmorum consignatorem Diognetus Athenis imperabat. Hinc Petavium inter et graecum Chronologum annorum decem et octo spatium discrepat: nam inter Diognetum et Creontem anni a Petavio ducenti quinque numerantur; contra a graeco Scriptore viginti duo et ducenti. Verum quum Petavius anno ante Ch. IↃCCCCVI, quod tempus a nobis Homeri aevo iam est tributum, annum duodecimum notet Megaclis, si alii anni decem et octo addantur, integrum Megaclis imperium, quod triginta annorum fuisse dicitur, complebunt, initiumque dabunt imperii Diogneti. Hoc vero anno eadem Oxo-

(1) In *Adnot. ad Hist. Plinii*.

nicntia monumenta unum ex duodecim perpetuis Archontibus Diognetum signant nec Corsinio dissentiente. Fixum ergo ratumque maneat, Homerum ante Christum vixisse, ut supra diximus, annis ıɔccccvI et Diogneti primo. Iam vero in his ipsis Oxon. marmoribus Hesiodi etiam, cuius gratia haec omnis a nobis instituta ratio est, aetatem habemus. Ita enim illa adnotant: EX QVO TEMPORE HESIODVS POETA VIXIT, ANNI IƆLXX.... ATHENIS IMPERANTE.... Reliqua invidit vetustas, quae notas abolevit. Sed quidquid desit, non pauciores esse possunt a marmorum conscriptore ad Hesiodum, quam anni saltem sexcenti et septuaginta. Hinc Hesiodus annis ante Homerum ad minimum viginti septem mortuus esse intelligitur, Megaclis nempe imperii tertio. Haec propterea assignanda Hesiodo nostro aetas est, quam verae proximam etiam Harduinus agnoscit, statuamusque oportet antiquiorem fuisse Homero hunc poetam, utpote qui annis ante Ch. ıɔcccccxxxııI vixerit: quibus si alii adiungantur cıɔıɔcclxxxıI quum haec scribimus, erunt nos et illum inter ccıɔɔıɔccxv anni. Quare non sine ratione et ab Herodoto, uti vidimus, quum dicit Hesiodum et Homerum docuisse *Theogonias*, prior Hesio-

dus nominatur; et a Platone in *Socratis apologia*, ubi poetas antiquissimos memorat, Musaeus primum, tum Orpheus, tertius Hesiodus recensetur, deinde Homerus. Nec aliter et a Plinio factum est, et ab antiquo Pindari Scholiaste, et ab Heraclide Pontico, et a Cyrillo, et a Iulio Caes. Scaligero, et ab aliis multis, quos et Sextus Empiricus, et Tzetzes referunt, quibusque in primis L. Accius poeta est accensendus, et Ephorus Historicus, et M. Varro ab A. Gellio commemorati. Mitto iam ea, quae ipse Hesiodus de Arcturi apparitione in Operibus scripsit, quaeque accidisse anno ante Christum ɪɔccccʟɪɪɪ circiter debuere, inita a Ricciolio astronomica supputatione; et ea item quae Suidas e nonnullorum sententia affert, fuisse nimirum Hesiodi consobrini filium Homerum; et quae demum alii Scriptores memorant de eius cum Homero concertatione (1) in Oelyci Thessali

(1) Versus, qui tunc dicuntur ab Homero recitati hi sunt:
Μοῦσα μοὶ ἔννεπ' ἐκεῖνα τὰ μήτ' ἐγενόντο πάροιθεν,
Μήτ' ἔσται μετοπίσθεν etc.
hique alii ab Hesiodo, qui maiori laude digni visi sunt:
Α'λλ' ὅταν ἀμφὶ Δίος τύμβῳ καναχήποδες ἵπποι
Α'ρματα συντρίψωσιν ἐπειγόμενοι περὶ νίκης etc.

exequiis et Amphidamantis Chalcidensis. Haec enim omnia, si etiam essent vera, non aliud evincerent, nisi aliquanto tempore simul vixisse duos hosce poetarum principes ac quasi parentes; qui quum tam ingenti annorum serie ante nos exstiterint floruerintque, mirandum sane est, poeticam facultatem deinceps excultam semper aut parvum aut nullum accepisse incrementum. Sed de his hactenus: veniamus nunc ad *Theogoniam*, de qua mihi secundo loco dicendum aliquid proposueram.

Multae quidem in Graecia ante ipsum Hesiodum *Theogoniae* traditae vulgataeque ferebantur, Lini in primis Chalcidensis, Orphei Thracis, Musaei Atheniensis, Thamyris, ut fama est, ex Agriopa nympha in Thraciam profuga nati, Melampodis Phoenicum mysteriis initiati, Abaris, aliorumque veterum Theologorum. Postea vero a Theologis tum graecis, tum aegyptiis, chaldaeisque hoc studium ad alios poetas transiit, Theogoniasque docuerunt et

---

quos et latine habeas a me versos ita:

„ Musa mihi dic illa canens, quae facta nec ante
„ Exstiterunt, nec secla ferent venientia etc.
„ Ast ubi cornipedum certans vis excita equorum
„ Circum busta Iovis rapido quatit impete currus etc.

Epimenidas Cretensis, de quo multa Cretes mendacius effuderunt, et Homerus, et Aristophanes, aliique. Sed poetis hac in re omnibus Hesiodus praeferendus est. Nam et totus est in hoc argumento pertractando, quod obiter alii et quasi cursim fecerunt; et quum Philosophorum, aut potius Theologorum scripta ex parte maxima perierint, eius integrum ad nos pervenit *Theogoniae* carmen. Dignus propterea videri potest, qui diligentius expendatur, vetustissimae inter graecos traditionis de rerum, hominumque originibus vestigia continens non contemnenda. Verum in eo explicando summa est difficultas: nam et multa confundit, et non pauca ad versuum ornatum atque elegantiam fingit; et ordinem, quo rebus maxima lux affunditur, narrandi non ubique servat; et diversos Theogoniarum Auctores nulla habita temporum, locorumque distinctione sequitur, in unumque doctrinae veluti corpus quidquid vel e Thracia, vel e Phoenicia, vel ex Aegypto, vel ex aliis barbaris regionibus a diversis coloniis in Graeciam commigrantibus advectum acceperat de diis, rerumque principiis, conflare conatur. Religioni vero in primis, quae eius tempore foeda late dominabatur, clarosque vetusta-

tis viros in deorum numero accensebat, ut ipse erat ea superstitione obcoecatus, servire non invitus videtur. Quare mirandum non est, si nec omnia cohaerere, nec unum ad finem multa in huiusmodi labyrintho unius Ariadnae ope nequaquam pervestigando tendere videantur. Vix enim exitum e Phoenicum doctrinae filo aliquem invenisse credis, ecce alium in errorem delaberis, ni Aegyptiorum auxilium implores; quumque hos exoraveris, tramitemque ostenderint, quo progrediaris, adiumenta alia petenda sunt vel e Thracia, vel e Ponto, vel e Syria arcessita. Multarum gentium annales consulendi, multiplex dispicienda theologia, vetus philosophia, atque astronomia excutienda, graeci demum poetae dissonas de rebus iisdem sententias ferentes inter se conciliandi, qui quum eas fabularum involucris etiam comprehendant, nae is Aethiopem, quod aiunt, lavet, Sisyphiumque laborem suscipiat, qui uni omnes, eidemque argumento aptare velit. Hanc potissimum ob caussam, qui mythologiam omnem vel ad veteris historiae rationem, vel ad philosophiae, astronomiaeque placita exigi posse crediderunt, vehementer falsi sunt. Quamobrem nec veteres Grammatici, nec eruditi fabularum Interpre-

tes recentiores, Heinsii, Vossii, Bocharti, Clerici, Huetii, Pluchii, Dupuisii, sexcentique alii, qui magno ingenio instructi, parique eruditione hac de re diligentius quaesiverunt, alacresque hoc in studio impedito admodum atque anfractuoso decurrerunt, metam credendi sunt contigisse. Vt enim iis multa feliciter evenisse concedantur; tamen quis non videt in aliarum rerum, nominumque quamplurium explicatione eosdem haerere, quod necesse est, angi, torquerique, atque ad extremum quadam animi desperatione correptos, quia quod intenderant, consequi non potuissent, in alienas omnino coniecturas, atque a communi sensu remotas fictiones, hypothesesque redigi? Itaque fateri satius duco, fieri a nobis nequaquam posse, ut quae ab hominibus ingenio foecundissimo, effroenataque fingendi libidine, ac licentia praeditis pro libito, arbitrioque scripta sunt, ea videantur fuisse, quamvis et allegoriis spolientur, et poeticis ornamentis exuantur, cum ratione semper caussaque scripta, et ad unum veritatis scopum collimare. Sed ad graecorum theogonias propius accedamus: earum si non omnium, plerarumque certe, ut observat Brucherus in *Historiae philosophicae insti-*

tutionibus, haec videtur fuisse summa. Praeter deum Chao gravidum, sive Chaos deum in se complectens, initio nihil exstitit aliud; adeoque in deo sive universo cuncta latuerunt. Illud autem sua vi agitatum impressit amorem, ut homogenea sociarentur, separarentur heterogenea. Is motus sive amor, quum e sinu dei profluxerit, et ratione et sapientia fuit plenus. Ita agitata materiae mole, leviora ascenderunt, graviora descenderunt in tartarum. Hoc autem pacto dispulsa nocte ex levioribus emicuit aether atque lux, ex hisque sol genitus: ex gravioribus terra atque montes exstiterunt. Terrá vero nupta et coniuncta Caelo pelagus genuit exhalationibus atque imbribus in se decidentibus, divinae mentis vestigia hisce omnibus mundi partibus conservantibus communicata. Hinc enata sunt ex Caeli Terraeque coniunctione animalia ratione praedita, homines nimirum, eorumque primi maximique insidentis numinis magnam vim hauserunt, qua instructi beneficiis et inventis utilissimis humanum genus sibi ita devinxerunt, ut post condita imperia mortalitatemque depositam ad sedes divinitatis reversi divinoque honore digni passim a populis crederentur. Huius autem opinionis ne falsitas

teneretur, a sapientioribus, id est a magis fraudulentis, quibus erat bono, obscurissimis involucris monstrosisque allegoriis, quae ad religionem pertinebant, omnia obtegebantur. Haec fere cuncta, quae e Bruckeri doctrina attuli, illud evincunt manifeste, graecos theogoniarum scriptores, imo et barbaros, quum eas traderent, non unam deorum generationem, sed rerum omnium huius universitatis, quam mundum appellamus, et originem et opificium et progressum et statum tradere voluisse. Quo fundamento veluti posito, totam Hesiodiae fabricae molem breviter contemplemur, cuius, ut mihi quidem intuenti obversatur animo, cur et aliis dubitem inspiciendam imaginem proponere? Id vero timide faciam, ut quod est, fatear; sed audendum tamen est, ac faciendum. Prima igitur huiusce *Theogoniae* pars ad naturalem mihi, seu physicam mundi constitutionem pertinere videtur, altera ad socialem seu politicam, tertia ad religiosam, quarta demum ad historicam usque ad belli Troiani tempora. Pergin vero ita serio desipere, inquies? Atqui profecto sic animo fixum est, bene nec ne an male, tu iudicabis, postquam fabulam audieris. Incipiamus ab ea parte, quam primam proposui. Mundum

hunc, qualem nunc intuemur, non fuisse aeternum, Hesiodum legenti patet: sed nulla opificis dei in eius constructione seu constitutione ab eodem fit mentio. A quo igitur ipsa materies seu rerum principia exstiterunt? A deo certe, quem quum non omnino neget Hesiodus, potius supponere dicendus est; ita enim vetus ferebat traditio. A celebri autem Chao, ut ceteri omnes theogoniarum scriptores, initium facit, terramque ubi nominavit, tartarumque et amorem, erebi atque noctis e Chao, rursumque aetheris dieique ex nocte atque erebo generationes auspicatur. Tellus rite iam efformata ac ab aëre segregata caelum produxisse, id est aspectui hominum exhibuisse, dicitur, quumque eadem in quaque sui parte non est aequabilis atque plana, hinc iure montes et valles genuisse fertur, ingentemque vim aquarum, quae sparsae erant prius per omnem terrarum faciem cumque rebus ceteris confusae, in maximas fecit defluere cavitates velutique crateres, unde maria ab eadem generata affirmantur, eque illis flumina fontesque varii. Hisce ita digestis rebus ordinatisque coeperunt et venti aëra perflare, et ipse sol cum luna reliquisque sideribus splendescere in caelo, et dies mensesque stato

ortu obituque distinguere. Homines item primi, nimirum Titanes, quos antiquitus creatos lateque terram inhabitasse fortissimos audierat Hesiodus, uti et bruta ex eadem telluris caelique coniunctione, quod simul, opinor, cum iis exstiterint, prodiisse finguntur. Vides haec perbelle quadrare omnia ad singulas mundi partes, et ad hanc omnem rerum creatarum efficiendam seriem. Quid vero ille Hesiodi Saturnus falcifer, eiusque iussu matris telluris in caelum patrem saevitia? Graecis Chronos, qui Latinis Saturnus, tempus est. Nonne autem homines et terram habere generandi vim, et caeli irrigatione et calore indigere, et curam praeterea adhibendam in colendis arvis, ferroque proscindendis, usu processuque temporis didicerunt? Nonne solum maria fluviosque, quum iam alia nova fieri desiissent, iidem maximam sibi ad vitam victumque utilitatem conferre coegerunt? Hoc illae e caeli foedo vulnere guttae sanguineae in terram decidentes ac coalescentes, et illa in mari spuma concrescens vitaque praedita, quae Venus est appellata, significabant: quocumque enim apta inciderant semina, uberrimae foecunditatis indicia habebantur. Porro homines arte parandi producen-

dique ea, quae ad vitam alendam conservandamque pertinebant, satis iam instructi multiplicatique varias sese in regiones insulasque diviserunt, quo quemque vis aut tempestas adegerat: Graeci autem et potissimum Athenienses se *ἀυτοχθόνας* gloriabantur. Deinde aerumnis premi ac labore, curis agitari, caedibus vexari invicem, morbis ac senectute deficere; quae mala cuncta cum ipsis hominibus mundique ortu recte ab Hesiodo dicuntur nata. Habemus ergo hunc terrarum orbem et physice constitutum, et hominibus aliisque animantibus refertum: sed nulla adhuc in eo reipublicae, nulla imperii forma, quae sine aliquo moderatore summo atque rege recte factis praemia laudemque tribuente, maleque factis mulctam poenamque irrogante nequaquam haberi potest. Virus adhuc ubique erat Saturnium. Iupiter igitur imperio potitur, Saturnum Titanasque vincit, efferos nimirum hominum primorum, qui Graeciam incolebant, animos moresque contundit, leges fert ac servare iubet, modestiam, aequitatem, pietatem, aliasque virtutes colendas proponit, vitia, quibus antea tenebantur, severissimis interdictis coercet ac prohibet, industriam excitat, artes promovet,

omnia denique ad prudentiae iustitiaeque normam dirigit, confirmat, quae bene erant instituta, quae secus, abolet. Id certe ea, quae ab Hesiodo de Iove praedicantur, si fabularum pigmentis poeticarumque fictionum ornamentis spolientur, quis non videat significare? Nihil enim de caeli Saturnique nobis providentia nihil de iure, nihil de legibus iudiciisque a poeta dictum. Quare homines ante Iovem nullius imperio subiecti vixisse videntur: quo quisque erat fortior, eo magis viribus in aliorum perniciem abuti, aliena rapere, alternis iniurias ulcisci caedibus consueverant. Contra vero quum Iupiter rex, quisquis is tandem fuerit, maximam Graeciae partem in suam ditionem redegit, et coercita populorum licentia, et vivendi in hominum societate praescriptae leges, et iudices delecti, et iusiurandum institutum, et indictae de reis quaestiones, et virtuti praemia destinata. Quod quum fieri non posset sine magna et prudentia et iustitia et potentia, hinc illi et fulmen datum, et fortissimi apparitores designati, et prima uxor Metis tributa, deinde Themis, tum ceterae coniuges, quae fere omnes ad aliquam vel virtutem vel laudem rege dignam spectare facile videntur. Statuatur igi-

tur, in Hesiodi *Theogonia* non unam mundi physicam constitutionem, sed politicam etiam contineri praesertim in iis, quae de Iovis imperio perhibentur. Iam vero quum haec esset a veteri traditione accepta fama, magnique facerent homines benefacta, quibus eos affecisse Iupiter eiusque socii liberique ferebantur, vero non absimile est, eosdem fuisse ab iis creditos in caelum elatos, et immortalitate potentiaque summa praestantes. Neque tamen is ego sum, qui ab hac dumtaxat re invectam credam in Graeciam multoque minus in alias terrarum regiones foedissimae superstitionis illam Idololatriam [1], quae humanum genus turpiter deformavit, teterrimisque ignorantiae tenebris infecit. Quamcumque ista originem habeat, quae quod necesse est in tanta rerum temporumque obscuritate, a diversis diversa scriptoribus assignatur, est omnem extra dubitationem, Hesiodi aetate eam in Graecia viguisse ita, ut innumerabilis quaedam atque incredi-

---

(1) Dignus est praeter ceteros Comes Carlius, qui inter recentiores hac de re legatur in epistola data ad March. Gravisium eruditissimum virum, et ad suam italicam *Theogoniam* praefixa, in Veneta Recurtii editione.

bilis simul cum Iove deorum turba vulgo coleretur. Hanc vates enumerat, huius facta celebrat, generationes explicat. Iovem statuit fato subiectum hominum deorumque regem Iunonemque reginam, omnium principes; Neptunum mari imperantem, inferisque Plutonem; Martem bellorum praesidem, sapientiaeque Palladem; itemque Latonam cum duobus filiis Apolline ac Diana, quibus postea Sol atque Luna, in quae astra post mortem fortasse ascendisse credebantur, tamquam sedes propria attributa est; Bacchumque et Mercurium, hunc vini laetitiaeque datorem, illum mercaturae lucrique dispensatorem; ceterosque huiusmodi deos, quos, ne et ipse videar facere, quod ad satietatem iam ab Hesiodo factum est, satius heic esse iudico silentio praetermittere. At fierine potuit, ut vir ingenio florentissimo praeditus iudicioque acerrimo, uti erat Hesiodus, tam foedam tam incredibilem tam variam deorum turbam colendam esse duceret atque ex animo sentiret? Id vero dolendum magis quam curiosius investigandum et de ceteris philosophis quaeri potest, quos quum sapientissimos multis in rebus iure admiramur, in hac re maxime deceptos errantesque videmus. Quid? an et Hesiodum et alios viros

doctissimos agnovisse quidem dicemus vanissimae huiusce religionis falsitatem, sed quum non haberent, ubi tuto consisterent, quod veri, uniusque esset numinis species fere abolita, se cum vulgo passos abripi, eiusdemque opinioni deservisse? Ita opinor profecto. Vt enim respublicae recte institutae haberentur, populique continerentur in officio, videbant alicuius esse numinis metum omnino necessarium; quumque iam invaluisset polytheismi doctrina, essentque ab hominum, si non omnium, saltem plurimorum recepti sententia dii, quos recensui, philosophi etiam poëtaeque in primis, ne reipub. status turbaretur, aut ipsi displicerent, palam non aliter quam vulgus de diis patriis sentire poterant. Sed haec non huius loci nec instituti, praesertim quum non disputamus heic de philosophorum poëtarumque de diis opinione, verum illud videre contendimus, utrum Hesiodus, postquam rerum omnium universitatem primo physice informatam, deinde politice docuisset, ad religionem describendam, quae tum dominabatur, gradum faceret. Id autem manifeste constare nemo sanus negabit. Restat propterea ut videamus, an et historicum hoc in opere nostrum vatem possimus dicere? Qua re

perspecta absoluta erit, quam proposui, disquisitio. Age iam, quid totum oro hoc Hesiodi carmen, nisi quaedam antiquissimorum nominum factorumque congeries, quorum tum fama vigebat, dicendum est? Nonne ab ipso narratur, quaeque habuerit principia mundus, a quibusque res singulae, quoque modo effectae sint? Quae forma, qui status, quae vis cuiusque erat partis? Nonne hominum generationes a Chao atque Caelo incipientes ad Saturnum usque recensentur; ab hoc autem ad Iovem, ac demum a Iove ad Herculem, ad Memnonem, ad Iasonem, ad Peleum, ad Aeneam, ad Vlyssem aliosque huiusmodi viros heroicorum temporum, quae in Troiani belli aetate desiisse scimus, perpetua successione deducuntur? Quid illa Echidna, quid Typhon, quid Chimaera, quid Sphinx, quid Harpyae, quid Gorgones aliaque poëtica monstra, nisi facta veterum hominum magis illustria, casus admirandos, varias expeditiones, bella, victoriasque in diversis terrarum orbis regionibus innuere et significare dicentur? Sane haec omnia ad historiam pertinent: quae si non loco et tempore et nominibus suis distincta referuntur, danda haec poëtae venia, qui portentis miraculisque quidquid scri-

bebat explere atque exornare studebat, quo legentibus mirabilior videretur. Itaque finem faciam satis, quae dixi, futura sperans, ut tute ipse pervidere possis in hac Hesiodi *Theogonia*, quamvis obscura sit et implexa, et mundi constitutionem, et politicam formam, et religionis statum, et veteris historiae traditionem contineri. Neque vero me fugit, e doctis hominibus futuros fortasse aliquos, qui hunc in partes quatuor divisum *Theogoniae* prospectum, heic a me adumbratum magis, quam demonstratum, et ineptum esse arbitrentur et vehementer improbent. Sint ii sane; neque enim pugnabo cum hominibus praeconcepta alia quadam opinione preoccupatoque iudicio. Erunt certe alii et fortasse aequiores, qui sedulo perpendentes excutientesque quae a ceteris interpretibus dicta sunt, quamque impeditas alienasque abierint in sententias, pervidentes, hanc meam si non tamquam certam, quam timidius proposui, at probabiliorem saltem verisimilioremque putent coniecturam. Omnis profecto, si quid intelligo, ex ipsa carminis, quo de sermo est, natura diligenter inspecta, et mysteriis plena vatis antiquissimi doctrina perlecta per se mihi effluere quodammodo ac sponte exhiberi videtur, quam

idcirco et his versibus complexus sum, ut memoria facilius retineretur.

Vnde satae res quaeque, fuit quis primus in orbe,
Qui summum rector gesserit imperium.
Quae stata relligio, quibus et genitoribus orti
Diique hominesq;, sacro carmine Musa docet.



HESIODI

ASCRAEI

DEORVM GENERATIO.

Principium nostri Musae sint carminis, alta
Quae iuga concelebrant, sacras Heliconis et umbras,
Pernicique solum plaudunt pede caerula propter

Vers. 1 *Principium nostri* etc. Vti carmini *Operum et Dierum* priores decem versus ab antiquissimis iam temporibus assutos fuisse credidit et Pausanias et Scaliger et Heinsius et Clericus; ita et *Theogoniae* priores hos cxv versus suppositos esse censuit Guietus. Illi *Opera et Dies* a contentionum divisione incipere affirmarunt; hic a Chao *Theogoniam* auspicatus est. Verum huic Guietiano placito non solum antiquitas tota adversari videtur, sed et poëtarum consuetudo, qui antequam rem ipsam aggrediuntur, de qua scribere constituerunt, solent aliquid praefari, Musasque invocare, ut quidquid canunt, earum afflatu incitati canere videantur. Multo magis id Hesiodum fecisse credibile est, qui se a Musis edoctum non uno in loco gloriatur.

2 *Heliconis et umbras* etc. Quas nisi patrias Boeotus vates Musas invocet? Helicon enim Boeotiae mons est Ascrae imminens. Porro si Sam. Bocharti coniecturae fidendum, phoenicia vox *hhalik*, vel *hhalikon*, unde videtur *Helicon* fluxisse, *montem altum* significat, uti re vera est.

Stagna Iovisque aram; tum lotae mollia membra
Permessove, Olmiove, aut fonte Hippocrenes
Pegaseo, aonii divino in vertice montis
Inter se dulces gaudent agitare choreas
Ingentem edentes sonitum procul. Inde citato
Delapsae cursu et noctis caligine septae
Ingeminant te, magne pater, te voce canentes

---

4 *Stagna Iovisque aram* etc. Heliconem esse πολύυδρον nemini non notum. In eo autem et aram Iovis fuisse ab Hesiodo discimus.

5 *Permessove, Olmiove, aut* etc. Clericus Olmium Permessum atque Hippocrenem a vocibus phoeniciis deducit, ut Olmius sit ab *hholmajo*, quod valet *dulcis aquis*; Permessus a *pheer-metso*, quod est *puteus* aut *fons purus*; Hippocrene sit *happhigran*, hoc est *fons erumpens*. Haec ille e Bocharti doctrina, a quo tantum dissentit in interpretatione Permessi, qui per ipsum derivandus est a *beer-metso*, idest *fons processus*. Sed ego quamvis sciam graecos a phoenicibus multa didicisse, quae uti sua posteris venditarunt, tamen plus iusto phoenicissantes, si ita loqui fas est, graecos fuisse factos et a Bocharto et a Clerico suspicor. Ad rem redeamus. Permessus ex Helicone ortus cum Olmio confluit in Copaïdem lacum, uti docet Strabo lib. IX. Hippocrene autem graecis est equi fons, quem a Pegasi ungula excitatum ferunt Poëtae; quamobrem non immerito fortasse addidi in versione illud *Pegaseo*.

9 . . . . . *noctis caligine septae* etc. Musas noctu incedere, ne videantur ab hominibus, passim legere est apud Poëtas. Nec vero id, uti pleraque alia, absurde ab iis fictum; ne mendacii scilicet convincerentur, si aliter dixissent: plurimos enim testes falsitatis habuissent.

Aegida qui dextra retines; nixamque cothurnis
Auratis te, Iuno argiva; oculoque Minervam
Çaeruleo insignem Iovis ipso e vertice gnatam,
Phoebumque, et iaculis gaudentem arcuque Dianam;
Neptunumque undis qui terram amplectitur omnem
Concutiens motu vasto, Themidisque verendae
Numen, et ardentes oculorum Cypridis ictus,
Auratoque Heben serto, pulcramque Dionen,

---

11 *Aegida qui* etc. Iupiter dictus est Αἰγίοχος, quod a capra enutritus, e cuius pelle Aegis postea compacta, horrendum nempe Iovis scutum, quo et Minerva utitur, iuxta illud Virgilii:

„ Aegida terrificam turbatae Palladis arma etc.

Sed hac de re etiam alibi.

12 . . . . . *te, Iuno argiva;* etc. In Argo potissimum Iuno colebatur, passimque eadem a poëtis argiva dicitur. Hinc Horatius Od. vII inquit:

„ Plurimus in Iunonis honorem
„ Aptum dicit equis Argos etc.

13 *Caeruleo insignem* etc. Nempe γλαυχῶπιν, quod est *glaucis oculis intuentem*. Porro glaucum caeruleum ac caesium idem ferme sonat apud latinos poëtas, quum de oculorum colore sermo est; licet aliqui discrimen agnoscant.

17 . . . . *oculorum Cypridis ictus* etc., Ἑλιχοβλέφαρον Clericus interpretatur *volubilibus palpebris* id est *paetam*, ut latini vocabant Venerem; additque lasciviae esse indicium nictare frequenter et signum amantium. Scholiastes autem docet esse metaphoram desumptam ἀϖὸ τῶν ἐν ταῖς ἀμϖέλοις ἑλίχων. Guietus ita dictam existimat, quod Venus in arcum sinuata habeat supercilia. Sed quidquid sit de voce, ego rem ipsam satis apte, opinor, explicavi.

Auroram, Solisque iubar, Lunaeque nitorem,
Latonam, Iapetum, et Saturni pectora vafra,
Terramque, Oceanumque patrem, Noctemque nigrantem,
Magnorumque alios, genus immortale, deorum.
Me quoque lanigeros pascentem in saltubus agnos
Hesiodum cantus docuere Helicone sub almo,
Vt mihi se primum tali cum voce videndas
Obtulerunt divae, magni Iovis aurea proles.
Sub dio, o vigiles pastores, probra virorum,

---

23 . . . . . . *pascentem in saltubus agnos* etc. Ergo Hesiodus et pastor fuit et pastoritiam vitam egit; quod nullam tum natalium infamiam denotabat, sed tantum vigentem adhuc antiquissimorum temporum auream illam vitae simplicitatem, quam et in locupletissimis Hebraeorum Patriarchis admiramur, et in maximorum regum filiis apud Homerum. Quid quod

„ Pavit et Admeti tauros formosus Apollo etc.?

Caeterum ego crediderim, fuisse Hesiodum a puero pascendis gregibus destinatum, sed quum maximum a natura ad poëticam facultatem habuisset ingenium, litteris deinde sese excoluisse diligenter, atque artium disciplinis imbuisse, quas illa ferebant tempora.

27 . . . . . *probra virorum*, etc. Haec certe Musarum alloquutio minime urbana videri possit, nisi velit Hesiodus significare, Musas et ex pastoribus, qui *κάκ' ἐλεγχέα* et *γαστέρες* solum sunt, maximos vates efficere posse, ut de se ipso nulla antea doctrinae laude florente vatem suavissimum effecerunt. Nam quod Clericus ait, gratulari sibi poëtam, quum primum alloquutae sunt ipsum, conviciis esse usas Musas, quod id proprium fuerit primaevae simplicitatis atque amoris indicium, non placet. Scio quidem et ab aman-

Tantum epulis sueti parere, imitantia verum
Novimus edoctae mendacia fingere multa,
Veraque, si libeat, modulari novimus ipsae.
    Talia ubi suavi dixerunt gutture Musae,
Me lauri iussere virens decerpere sceptrum

---

tibus dici solita convicia; et de hac re sibi gratulari Catullum in eo lepidissimo epigrammate:

„ Lesbia mi praesente viro mala plurima dicit etc. Sed haec admodum diversa sunt; et quod attinet ad epigramma, illud *praesente viro* tollit omnem dubitationem, quam ob caussam gauderet iis conviciis Catullus.

28 . . . . . *imitantia verum* etc. Perperam heic incusant Hesiodum, diis mendacia tribuisse, perinde quasi dii Hesiodii non homines fuerint, et iisdem, quibus homines sunt, vitiis obnoxii. Quid quod et illa verba possunt accipi de mendaciis non omnino veris, sed de poëticis fictionibus, uti sunt apologi, metaphorae, allegoriae et cetera huiusmodi, quae si tollantur, maxima poëseos venustas evanescat necesse est? Vetet haec interdicto in sua *Rep.* Plato, dummodo maiora ac graviora his non permittat vitia.

32 *Me lauri iussere virens* etc. Mitto quae vetus Scholiastes parum ad rem hoc loco dicit, quaeque itidem multis docet Salmasius in Solini *Polyhist.* pag. 609. Duo heic dicit sibi poëta munera a Musis data, insignia nempe poëtarum et ipsam poëticam facultatem, quam qui profitebantur, laureum gestare in manibus ramum consueverunt. Id vero Hesiodo maxime fuit peculiare, ut docet praeter alios Pausanias *Boeotic.* lib. IX, ubi loquitur de Hesiodi imagine male picta cum cithara, quae non erat proprium ipsius gestamen: *Manifestum enim est,* ait, *etiam ex ipsis eius versibus, eum ad lauri ramum cecinisse.* Integrum in hanc rem habemus epigramma in *Anthol.* lib. IV. Α'υταὶ ποι-

Mirandum visu, diamque in pectora vocem
Spirantes, qua prisca sciam, venturaque vates
Pangere, me divum voluere intexere laudes,
Seque adeo primo et postremo dicere cantu.
Cur tamen haec quercuque super petraque revolvo

μαίνοντα etc. Lauri etiam ramum gerebant, et folia admordebant, qui vaticinandi scientiam profitebantur.

34 . . . . . *venturaque vates* etc. Lucianus, in *διαλέξει πρὸς Ἡσίοδον*, eum furtive de more interrogat, quae et quando futura cecinerit detexeritque hominibus? Vide Hesiodi responsionem; et illud in primis tibi persuadeas, non quaerendam esse a poëtis nimis religiose rationem rerum omnium, quas dixerint; sed sciendum, multa à poëtis et metri caussa et aurium voluptatis proferri. Sed Lucianus his dictis minime aquiescit, eumque ludibundus exagitat.

36 . . . . . *Seque adeo primo* etc. Virgilius Eclog. VIII:

„ A te principium, tibi desinet etc.;

et Horatius etiam multo pressius ep. I lib. I:

„ Prima dicte mihi, summa dicende Camoena etc.

Porro hinc sese totum effundit Hesiodus in Musarum laudes, quarum et suavitatem et scientiam et potentiam celebrat, ut parem accepto beneficio gratiam referre videatur.

37 *Cur tamen haec quercuque super* etc. Optime quidem haec explicat Scholiastes inquiens: *Quid haec ad rem quam aggressus sum?* Quem sequutus ego, illa *avius a coepto* addidi ut clarior sententia sit. Homerus habet huiusmodi loquutionem *Iliad.* X et *Odyss.* Y. Primo loco ea utitur ad inanes sermones, quos Achilles laturus non erat, significandos; in secundo ad fabulam respicit, qua homines a quercubus lapidibusque nati ferebantur, Penelopemque inducit alloquentem Ulyssem, quem adhuc, unde et quis esset, non cognoscebat. Dixi autem *quercuque super petra-*

Avius a coepto? quin Musas, numina nostra,
Nunc age dicamus. summo illae cuncta parenti,
Quae sunt, quae venient, quae iam fugere peracta.
Suavidico cantu memorantes ipsius olim
Spargunt insueta captam dulcedine mentem.
Vox liquido fluit usque eadem cantantibus ore,
Qua ridet perfusa hilaris domus alta Tonantis,

---

que etc. usus praepositione *super* pro usitatiore *de*, auctore ac duce Virgilio, qui in fine lib. IV *Georg.* ait:

„ Haec super arvorum cultu, pecorumque canebam,
„ Et super arboribus etc.

40 *Quae sunt, quae venient*, etc. Eodem ferme modo et Virgilius haec Haesiodi et Homeri loquens de Proteo lib. IV *Georg.* extulit:

„ Quae sunt, quae fuerunt, quae mox ventura trahuntur.

41 *Suavidico cantu* etc. Hesiodus inquit *φωνῇ ὁμηρεῦσαι*, quod est simul voce concinere; nam Hesychio *ὁμηρεύειν* est *συμφωνεῖν* ex *ὁμοῦ simul* et *ἐρέω dico*. An hinc et Homeri nomen? Non certe male Clericus suspicatur, id ei nomen fuisse inditum, postquam divinis carminibus per totam Graeciam vates maximus inclaruit, quum prius Melesigenes appellaretur a Melete fluvio non procul a Cumis aeolicis fluente, de quo et Moschus in *Epitaph. Bionis*, et Herodotus loquitur in *Homeri Vita*; iuxta quem, ait, eum mater Critheïs pepererat. Notandum, Cumaeos dicere *ὁμήρους* caecos fuisse solitos. Hinc fortasse tota de Homeri caecitate exorta fabula, de qua et M. Tullius vehementer dubitat, et multo certe verisimilius est, eum ab artis excellentia, quam ab infortunio cognomen invenisse. Quin et Hesiodi nomen *παρὰ τὸ ἧσιν ἄδω*.

44 *Qua ridet perfusa* etc. Retinui illud *γελᾷ*: nam et

Nimbiferique, deum sedes, iuga maxima caeli
Pulsa sonant. illae cantu genus omne deorum
Concelebrant, quos Terra parens, quos Caelus in auras
Aetherias fudit, quorumque a stirpe creatos
Novimus egregios post prima exordia divos
Cunctorum auctores servatoresque bonorum.
Hinc Iovis ad laudes redeunt, divumque parentem
Atque hominum memorant ipsum, seu carmina coeptant,
Seu ponunt; magno quantum dis omnibus idem
Imperio potior, praeclaro et robore praestat.
Post etiam dicuntque homines validosque gigantes
Nymphae heliconiades, proles Iovis aegide clari,
Quas quondam cupido furtim commixta Tonanti
Pieria in viridi fausto dedit aurea partu

---

graecis et latinis poëtis sollemne est rebus etiam inanimis risum tribuere. Sic praeter alios Lucretius lib. I:

„ . . . . . . tibi suaves daedala tellus
„ Submittit flores, tibi rident aequora ponti.

46 . . . . . *illae cantu genus omne deorum* etc. Ii, qui divi sint, postea docebit Hesiodus. Heic tantum observandum, terram caelumque plurimos deos progenuisse, ex iisque alios enatos, ut mox videbimus, donec ad Iovem deveniamus, in quo tertia quodammodo deorum aetas consistit. Caelus enim prius regnavit, deinde Saturnus, tum ultimus Iupiter.

58 *Pieria in viridi* etc. Pieria mons est et regio eidem subiecta ad Thermaïcum usque sinum producta, qua clauditur Thessalia ad septemtriones, ad austrum Macedonia. Heic et Pimpleus mons, unde et Pimplaeae et Pierides Musae dicuntur. An vero Musae a *Motsa*, voce phoenicia,

Mnemosyne, regnatus ubi se tollit Eleuther,
Solamenque malis nigrisque oblivia curis
Ferre habiles. una thalamo interiore receptus
Namque novem sacras per noctes Iupiter, ulli
Haud superum visus, placito gavisus amore est.
Sed quum transierant circumvolventibus horis

---

quae *inventricem* sonat, nomen antiquitus acceperunt? Certe ab omnibus carminis inventrices celebrantur.

59 . . . . *ubi se tollit Eleuther* etc. Eleuther urbs Boeotiae a quodam rege eius urbis sic dicta, inquit Scholiastes, pergitqne docens; *est etiam mons, ut perhibent, cognomento Herois*. Ad Citheronis radices sitae erant Eleutherae, de quibus in Atticis ita Pausanias: „ Eleutherarum „ adhuc cum muri tum aedium erant vestigia. Manifestum „ autem ex his urbem paullo supra planitiem ad Cithero- „ nem fuisse conditam etc. „. Itaque quamvis Musas in Pieria natas Hesiodus concedat, matrem tamen ex Boeotia fuisse, quum Eleutheri imperasset, contendit, ut hanc etiam gloriam patriae vindicet, quemadmodum et Scholiastes observavit.

60 *Solamenque malis* etc. Quanto sunt curarum levamento Musae, ii tantum nesciunt, qui numquam ad huiusmodi studia animum adplicuerunt, aut severioribus litteris toti occupati omnem animi hilaritatem voluptatemque aurium exuerunt morosi ac tetrici, et digni, sententia Pindari, qui in Tartaro cum Iovis osoribus torqueantur.

64 . . . . . . *circumvolventibus horis* etc. Horae et apud Graecos et apud Latinos varias anni tempestates significant. Exempla multa invenies et in Ios. Scaligeri lib. I *De emend. Temp.*, et in Vossii *Etymol.* ad vocem *hora*, et in aliorum Scriptorum libris, in quibus etiam videbis hanc vocem *horam* sero fuisse traductam ad vigesimam quartam diei no-

Tempora, et exactis aderat iam mensibus annus,
Illa novem peperit concordi pectore gnatas,
Carmina queis cordi securaque gaudia mentis.
Nec procul imbriferi distant a vertice Olympi,
Semper ubi lactosque choros, laeta atria complent
Sedibus adiunctae Charitum, queis ipse Cupido
Additus est, celebratque dapes simul. omnia dulci
Voce fremunt, quoties cunctorum ex ordine divum
Naturasque canunt, legesque, atque aurea dona.
Tum quoque siderei scandentes culmen Olympi
Ibant cum suavi fremitu, carmenque sonabant
Ambrosium. vario tellus clamore resultans,
Snb pedibusque solum gradientum ante ora parentis

---

ctisque partem distinguendam. Saepe sunt venustatis praesides.

70 *Sedibus adiunctae Charitum* etc. Recte quidem vicinae Musis habitare dicuntur Gratiae, uti et Cupido. Quid enim Musae valeant, nisi accedat Gratiarum lepos, et Cupidinis non lascivientis, sed animorum motus honeste excitantis, hilaritas?

74 *Tum quoque siderei* etc. Iupiter, uti omnibus notum, habitus est summus caelorum rex; sed idem, quum homo antea fuisset, ut multa de eo nobis ab antiquitate tradita persuadent, Thessaliae imperavit. Quare Olympus Thessaliae mons ab aliis poëtis, et ab Hesiodo praesertim, pro ipso saepe caelo accipitur, et vice versa caelum pro Olympo monte, foeda quadam rerum nominumque confusione, qua id manifeste constat solum, nihil certi antiquos Theogoniarum scriptores habuisse, sed hac illac parum sibi consentientes errasse.

Ridebat concussum. alta sed rector in arce
Ille sedet, dirumque tonans et fulmina quassans
Ignea, Saturno iam vi genitore subacto,
Singula rite regit, dis et partitur honorem.
Tali voce canunt Musae supera alta tenentes,
A magno genitore novem Iove germina nata,
Clioque, Euterpeque, Thaliaque, Melpomeneque,
Terpsichoreque, Eratoque, Polymniaque, Vranieque,
Calliopeque alias inter praestantior omnes,
Magnanimos quae pone duces comitatur ovantes.
Quem nam cumque Iovis gnatae dignantur honore,
Aspiciuntque ultro venientem in luminis oras
Regnaturum olim, linguam illi nectare dulci
Suave rigant, ut verba fluant manantia melle.
Attonitae hunc gentes late admirantur, et unum
Suspiciunt, quoties populis dat iura vocatis
Concilio in magno. nulla formidine captus
Ipse serens ius atque pium profatur, et acres,

---

80 . . . . . *Saturno iam vi genitore subacto*, etc. Qua id ratione acciderit, multi iam memoriae prodiderunt, et mox videbimus, ubi ad Titanum pugnam egregie ab Hesiodo descriptam perveniemus.

84 *Clioque, Euterpeque*, etc. Haec sunt novem Musarum nomina, quarum singula aliquod e poëseos officiis seu effectis significant. Calliope autem idcirco praestantior ceteris dicitur, quod illi Epopeia tribuitur genus poëseos omnium maxime excellens, quo nempe heroum laudes celebrantur.

Stans medio in coetu lites componere gaudet.
Regibus idcirco mentis prudentia maior
Indita, uti raptas res cogant reddere cives
Leniter insanae placantes iurgia linguae.
Hinc et quum cernunt spatiantem forte per urbem,
Numinis in morem taciti venerantur: at ille
Gaudet ovans, aliosque inter supereminet omnes.
Magnum homini Musae decus addunt: namque per ipsas,
Perque procul Phoebum iaculantem spicula, vatum
Fama viget cantuque potens citharaque sonanti.
Ab Iove sunt reges: felix sed et ille, Camoenae
Quem meritum donis augent, et amore tuentur.
Olli vox dulcis fluit ore, et suavior ipsa
Liquitur ambrosia. nam si quis corda recenti
Saucius heu luctu curis tabescat acerbis,
Musarumque comes veniat, veterumque disertus
Facta virum divosque attollere laudibus instet,

---

106 *Ab Iove sunt reges* etc. Quemadmodum primus inter deos honore Iupiter est, ita reges inter homines. Idcirco etiam dicti sunt *διογενεῖς* quasi *geniti Iove*, et *διοτρεφεῖς a Iove nutriti*.

108 *Olli vox dulcis* etc. Homerusne ab Hesiodo, an Hesiodus ab Homero hanc loquutionem accepit, qui in *Iliad*. A. ait de Nestore iuxta versionem vere Virgilianam mei Cunichii:

„ Cui vox manabat ab ore
„ Suaviloquo iucunda, ipso dulcis mage melle etc.

Continuo anxiferos oblitus corde labores
Haud meminit, quam dira tulit. sic tristia divae
Carmine damna suo longe divertere possunt.
Salvete, o Nymphae dium genus, et mihi dulce,
Quale decet divas, faciles concedite carmen;
Aeternoque aevo superos vitaque fruentes
Dicite, qui Terra, qui Caelo, et Nocte nigranti,
Fluctibus et salsis cepere exordia vitae.
Dicite, ut exorti primum sint; ut sola, et amnes,
Caerulaque undanti late ferventia motu,
Lucentesque ignes astrorum, et fulgidus aether
Exstiterint: ex his qui nati cumque bonorum
Auctores divi, qua se inter munera lege
Distinxere, polique alta sunt arce potiti.
Haec mecum vos, o superum caelestia templa
Quae colitis, memorate, et prisca ab origine mundi
Quid fuerit primum e cunctis, evolvite Musae.

---

119 *Dicite, qui Terra*, etc. In hoc, et in sequentibus versibus videtur Hesiodus, quod saepe facit, Theogoniam cum Cosmogonia confundere. Immo quid aliud tota ferme eius Theogonia est, nisi quaedam rerum in mundo conditarum prosopopeia, quae non ficta ab inani vulgo postea habita est, sed vera, quum maxima huiusmodi rerum atque nominum et in astronomia, et in scriptis hieroglyphicis vestigia expressa nec satis intellecta admiraretur?

Principio magnum Chaos exstitit, almaque deinde

---

130 *Principio magnum Chaos exstitit,* etc. Hoc totius *Theogoniae* fundamentum est Hesiodo, immo potius, ut dixi, Cosmogoniae, si Chaos ab Ovidio *Metamorph.* lib. I recte fuit descriptum: ita enim canit:

„ Ante mare et terras et quod tegit omnia caelum,
„ Vnus erat toto naturae vultus in orbe,
„ Quem dixere Chaos, rudis, indigestaque moles,
„ Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem
„ Non bene iunctarum discordia semina rerum.

Postea, aliquot versiculis interiectis, pergit idem vates:

„ Hanc deus et melior litem natura diremit,
„ Nam caelo terras, et terris abscidit undas,
„ Et liquidum spisso secrevit ab aëre caelum etc.

Ita Ovidio Chaos non aliud est, nisi quaedam confusa rerum congeries, quam deus, quum voluit, suas in partes divisit ordinavitque, ex eoque ordine rerum haec summa, quam oculis usurpamus mundumque dicimus, exstitit. Hoc et Hesiodi Chaos sit oportet, nisi quod apud ipsum nescio quid animatum esse videtur Chaos et quaedam aeterna veluti persona, quae non solum rebus in se collocandis spatium praeberet, immo esset ipsum spatium; sed quae rerum omnium faciendarum semina aut ὕλην, ut graeci dicunt, contineret. Simile quid affirmat Bruckerus in *Instit. hist. phil.* edit. Lips. pag. 108 colligi ex fragmentis orphicis, quae satis luculenter systema emanativum, ut vocant philosophi, supponunt. Itaque dicit: statuendum esse ab initio deum et Chaos unum fuisse, illumque hoc velut animam informasse, exque hoc universo sua activitate rebus omnibus originem dedisse etc. Ergo Chaos habitum est et animatum, et productivum, et ab alio non factum, quamvis contrarium auctor Clementinarum homiliarum evincere conetur, illud Hesiodum γένετ' interpretando ἐγένετο, quasi sit

Terra domus sedesque deum secura, quot alti
Immortale agitant aevum per culmina Olympi,
Tartaraque immenso subter tenebrosa recessu,

ἐγενήθη, nimirum *genitum est*. Haec ille Homil. vI. Sed si hoc cogitasset poëta, dicit optime Clericus, caussam aliquam commentus esset, a qua genitum Chaos dixisset. Addo ego, si et vitam ipsi denegasset, quiddam aliud in scenam produxisset, cuius efficacia atque vi omnia prodierunt: saltem adduxisset fortuitam illam Epicuraearum atomorum concursationem, de qua passim Lucretius. Nec tamen defuerunt, qui heic veram Moysis de mundi opificio doctrinam allegorice adumbratam ostendere conati sunt; cuius etsi aliqua vestigia apparere possint, tamen pleraque coacta sunt atque absurda, quae afferuntur. Nisi creatio, quam e sacra Scriptura didicimus, mundi adstruatur, semper caecutiemus eque uno errore in alium perpetuo deferemur. Ex illo unice fonte doctrina vera petenda est.

131 *Terra domus sedesque* etc. Altera a Chao Terra est; sed a quo ipsa facta sit, quum sileatur, eam etiam iuxta Hesiodum ἀγενήτην dicere necesse est, saltem quod pertinet ad eius informem originem, qualem fortasse et Aristoteles statuebat. Quomodo autem ea esse potest sedes deorum, quum dii non in terris, sed in caelo habitare credebantur? Ideo nimirum, quod ii qui postea dii habiti sunt, homines erant, superstitiosaque aliorum hominum vel benevolentia, vel inscitia in caelum post mortem fuerunt evecti. Videbimus autem terram ipsam esse quamdam personam, et ex caeli congressu, velut feminam ex mare, producere quamplura. Id fortasse allegorice fictum, quod terra pluviis irrigata ac sole calefacta fit frugifera.

133 *Tartaraque immenso* etc. Quid Tartarus? Guieto est ὑπὸ τὴν γῆν μέρος τοῦ χάους; immo potius per Hesiodum terrae pars nobis aversa, quum sit μυχῷ χθονὸς

Atque amor, ille deos inter pulcherrimus omnes,

εὐρυοδείης. Sed alio in loco ab eodem Hesiodo sub terra, seu, ut clarius dicam, trans terram Tartarus collocatur. Vbicumque sit, Clericus docet vocem phoeniciam *tarahh-tarahh* derivari a radice hebraea et arabica *tarahh*, et significare *molestiam creare* et *longe amovere*. Itaque Tartarus erit molestissimus ac remotissimus locus, quum repetitio radicalium sit apud Hebraeos superlativi loco. Huic explicationi ea, quae Hesiodus de Titanum carcere dicit, favere maxime videntur.

134 *Atque Amor, ille* etc. Amor iste caussa est, opinor, generationis, seu rerum omnium, ut ita dicam, vis generatrix, et per quam, quemadmodum et Lucretius canit: „ Genus omne animantum concipitur, visitque exor- „ tum lumina solis „. Vide autem apud Bruckerum *Instit. hist. philos.* pag. 67, quae ex Thooti annalibus descripsisse in quodam fragmento Sanchuniathon dicitur: nimirum „ Huius universi principia fuisse aërem tenebricosum et spiritualem, et Chaos turbidum atque caligine involutum, quae quum ab infinito tempore nullo termino definirentur, spiritum, principiorum suorum amore exardescentem commixtionis auctorem fuisse, et ex hoc nexu ortam cupidinem fontem exstitisse creationis, spiritu suam generationem ignorante „. Inde vero etc. Haec ad Cosmogoniam phoeniciam pertinent, in qua suum Amor locum obtinebat, ut in aliis plerisque. Aristophanes autem in *Avibus*, ubi de mundi creatione aves loquentes inducit, haec habet: „ Chaos „ erat et Nox Erebusque niger primum et Tartarus latus. „ Terra vero neque aër, neque caelum erat. Erebi vero „ in infinito sinu parit primo Nox nigris alis praedita ven- „ tosum ovum, ex quo circumactis tempestatibus pullula- „ vit Amor desiderabilis etc. „. Deinde sic pergit: „ Hic „ autem Chao alato mixtus nocturno in Tartaro lato fe-

Ille graves curas abigens, hominumque deumque
Imperio subigens prudentem in pectore mentem.
  Nigra Chao sata Nox, Erebusque: at maximus Aether,
Atque Dies e Nocte sati, quos edidit ipsa
Mixta Erebo, postquam vasta concepit in alvo.
  Terra autem genuit Stellis ardentibus aptum
Caelum, quo fuso tegeretur desuper omnis,

„ cit genus nostrum, et primum reduxit in lucem. Prius „ autem non erat immortalium, antequam Amor commiscuit „ omnia etc. „. Quamvis ergo comice heic aves glorientur sese esse antiquissimas; tamen manifeste constat, Aristophanem haec e veteri aliqua Cosmogonia descripsisse, in qua vis rerum effectiva Amori tribuebatur. Sed et ipse apud Aristophanem productus est ab ovo illo ventoso: apud Hesiodum improductus est, ut Chaos, ut Terra, ac Tartarus. Quae quatuor a quo sunt genita, plane ignoramus ope huius Theogoniae, nisi fortasse ipsa statuantur ἡ δημιουργικὴ δύναμις, quum ex nihilo nihil etc.

137 *Nigra Chao sata Nox*, etc. Prima haec est omnium generatio sine ullius, ut apparet, admixtione. Neque enim necesse erat, ut res quae in privatione lucis consistunt, ab alio quam a solo Chao, informi illo ac tenebricoso spatio, exordium ducerent. Porro Nox et Erebus idem est, si vocis vim spectes; nam et Moysi *hereb* aut *erbo* tenebrae sunt.

138 *Atque Dies e Nocte* etc. Aether seu serenitas et dies ipse ex Nocte Ereboque prodierunt. Ne quaeras, qua ratione ex rebus, immo ex non rebus, res omnino contrariae ac diversae exstiterint? Satis est scire, lucem post tenebras exortam ita, ut diei nox respondeat, ereboque aether.

140 *Terra autem* etc. Id recte, inquit Clericus, nam et Moyses post terram caelum formatum docet. Videtur

Ac sua firmarent stabiles vestigia divi.
Praetera Montesque altos gratissima nymphis,
Quae iuga, quae saltus habitant, tecta; atque profundi
Progenuit Pelagi refluentibus aequora rivis,
Et Pontum dulci sine amore. hinc ipsa corusco
Concubuit Caelo, Oceanumque enixa creavit,

---

autem Terra per Hesiodum nullius concubitu indiguisse, ut caelum montes speluncas pelagus, pontumque produceret, contra quam factum est in ceterarum rerum productione.

146 *Et Pontum dulci sine amore.* etc. Distinguit Hesiodus Pelagus ac Pontum, fortasse ut significet mare, quod Tyrrhenum dicimus et Euxinum. Cur vero hic Pontus sit dulci sine amore, nihil dixerunt, aut Guietus, aut Clericus, aut ipse Graevius; nam nihil de Euxino suspicati sunt. Iohannes Rinaldus Carlius, quem ego virum honoris caussa nomino tum ob eius singularem doctrinam eruditionemque, tum etiam ob eximiam, qua me complexus est, humanitatem, quum in italica huius poëmatis versione adhuc adolescens hunc locum interpretatus esset de Euxino mari, illud *ἄτερ φιλότητος* dicit maxime convenire Euxino, quod antiquitus *Axenos* vocabatur, quasi inhospitalis et propter insulas Cyaneas naufragiis famosas, et propter barbararum gentium, a quibus incolebatur, feritatem. Id et Ovidii testimonio pluribus in locis et Plinii *Hist.* lib. VI cap. I facile esset confirmare.

147 *Concubuit Caelo,* etc. Quid est *concubuit Caelo,* nisi quod Terra, quae prius tota aquis tegebatur, quum in varias cavitates vallesque dehisceret, locumque aquis efficeret, ipsa quodammodo emersèrit, ac proinde caelo propinquaverit? Illa autem aquarum congregatio, quae in maximum telluris hiatum resedit, Oceanum effecit, cuius nomen vel repetatur ab antiquissima graecorum voce Ω'γὴν vel ab hebraea *Aggan,* vel a chaldaica *Ogan,* sonat *lacum, crate-*

Caeumque, Creumque, Hyperionaque, Iapetumque,
Thiamque, Rheamque, Theminque, Mnemosynenque,
Insignemque auro Pheben, Tethynque decoram.
Vltimus hos inter vafer est Saturnus in auras
Editus, et cunctis in gnatis saevior, ausus
Tristibus ille odiis quondam exercere parentem.

---

rem, cavitatem etc. Vide adnot. Clerici, et Bocharti cap. xxxvI lib I, Chanaan, et Cudvohortum, et alios Scriptores, qui de tellure primitus aquis cooperta egerunt. Hoc obiter animadverto, Caelum esse mihi masculini generis, quum numen quoddam fingitur, uti est et M. Tullio, et passim Scriptoribus latinarum veterum inscriptionum: soli Hygino *Caelum* dicitur, non *Caelus*.

148 *Caeumque Craeumque*, etc. Sic et Virg. l. I *Georg.*, ubi quintam mensis diem superstitiose docet esse vitandam, ait:

„ . . . . tum partu terra nefando
„ Caeumque, Iapetumque creat saevumque Typhoea,
„ Et coniuratos caelum rescindere fratres.

Quisque autem per se videt, quod heic innuitur, antiquissimam nempe fuisse traditionem apud populos, homines e terra prognatos seu potius effectos esse. Haec vero nomina, ut bene monet Clericus, partim sunt hominum mulierumque, partim poëticarum personarum, de quibus suo loco iterum sermo erit.

151 *Vltimus hos inter* etc. Saturnus a Caelo Terraque ultimus in lucem emissus esse, non quod ipsa natu minimus fuerit omnium fratrum, sed horum tantum, quos hucusque recensuimus, dicitur. An Κρόνος appellatus, quod tempus mutat omnia? Certe ipse rerum ordinem mutavit, regnumque in se transtulit, Caelo patre male mulctato: induxitque secundam quamdam vel deorum, vel hominum aetatem aut dynastiam. Quod quì acciderit, paullo inferius videbimus.

Quin et produxit Cyclopum immania corda,
Brontenque, Steropenque, et magnis viribus Argen,
Qui tonitru fecere Iovi fulmenque dedere.
Omnia dis illi similes; at fronte sub hirta
Vnus erat rutilans oculus, qui circulus ingens
Quod veluti curva splendebat lampade frontis
In medio, instituit vero de nomine dici
Cyclopas: vis multa inerat, roburque, dolique.

---

154 *Quin et produxit Cyclopum* etc. Cyclopes viri *Chek-Loub*, idest viri sinus Lilybaetani, qui antiquissimi fuerunt Siciliae cultores aliarumque finitimarum insularum. Vide lib. I. cap. XXX *Chanaan* Sam. Bocharti. Quod vero ait Hesiodus, eos ideo fuisse dictos Cyclopes, quod unum instar circuli oculum in fronte haberent, id omnino graecorum poëtarum fabulis tribuendum, qui hoc nomen sua lingua interpretantes, non phoenicia, cuius est, uti aliarum etiam rerum, veterem historiam traditionemque nugis foedissime corruperunt. Diis autem similes Cyclopes dicuntur, inquit Clericus, quod essent similes *σεβασμίοις ἀνδράσιν οἱ πρῶτοι τὴν Ἑλλάδα ἐκτίσαντο*. Nam ipse contendit vocem Θεὸς antiquitus apud graecos significasse non solum naturam aeternam ac divinam, sed etiam eximiam ac venerandam, et hominibus supra vulgus evectis tribui solitam. Vide part. II *Art. crit.* sect. I cap. III apud eundem. A Θεὸς autem verbum est *θηέομαι admiror*; unde illud Evangelii *dii eritis* significat fortasse, eritis admirabiles, clari, spectandi etc. Negari tamen non potest, decursu temporis hanc vocem designasse naturam quamdam humana praestantiorem adeoque immortalem nempe deum.

161 ...... *vis multa inerat*, etc. Cyclopes fuisse non modo viribus sed et arte pollentes, Hesiodum heic voluisse significare, auctor est Clericus. Sed Homerus, ubi in *Odys-*

E Caelo Terraque alii tres ordine creti
Terribiles visu, atque invicto robore gnati,
Cottusque Briareusque Gygesque, superba propago.

---

sea de Cyclopibus sermonem habet, videtur contrarium sentire, et genus hominum ferum omnino atque agreste depingere, utpote qui neque iura haberent, neque agriculturam exercerent, neque navigationem cognoscerent, neque hospitalitatem colerent. Ita enim, ut ego verti, ipse ait lib. IX:

„ . . . . proramque Cyclopum
„ Vertimus ad terras. haud est affabilis ulli
„ Effera gens, fastuque tumens etc.

et post pauca

„ . . . . nec frangit glebas neque conserit arva;
„ Non populi coetus agitant, nec iura, nec ulla
„ Foedera: in aërio praerupti vertice montis
„ Antra tenent. sua quisque regit etc.

Itaque si heic ab Hesiodo iisdem artis aliqua praestantia tribuitur, malim id intelligi dictum de Bronte, Sterope, aliisque vulcaniae officinae administris, de quibus Virgilius ait:

„ Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro
„ Brontesque, Steropesque et nudus membra Pyracmon etc.

quam generatim de universa Cyclopum gente.

164 *Cottusque Briareusque Gygesque* etc. Quid tria haec monstra? Phoenicia vox *Kot, fastidiosum* et *rixatorem* sonat; *Briah-jiri, creatura time; Gog* denique *ducem improborum*, si interpreteris ex arabica radice *agag*. Hinc recte Clericus opinatur, hos fuisse tres antiquissimos latrones, et corporis validitate, et praedonum, quibus imperabant, numero terribiles. Hosce mox videbimus in pugna deserere Titanos, et sequi Iovis partes. Homerus etiam *Iliad.* lib. I haec habet de Briareo, ut cl. Cunichius vertit, ubi Achilles Thetidem matrem alloquitur, dicitque ex eadem audivisse, eam solam avertisse quondam Tonanti

Fortia queis centum surgebant brachia latis
Ex humeris, supraque ipsos atque hispida colla
Quinquaginta aderat capitum densissimus horror,
Visque ingens vastos aequabat corporis artus.
Non alii aetherias quotquot Terraque creati
Et Caelo videre auras, mage viribus acres
Sunt habiti: sed enim primaevo lucis in ortu
Infesti invisique suo vixere parenti.
Namque illos, dias ut quisque in luminis oras.
Exortus primum veniebat, protinus atris
In tenebris abdens radianti a sole tegebat,
Gaudebatque auso crudeli saevus. at aegra
Intus Terra gemens, durisque exercita curis,

„ Exitium, cum vincla olli di, vimque pararent,
„ Neptunus pater et Iuno, et Tritonia Pallas:
„ Solam atrox turbasse nefas, subitoque vocasse
„ Centimanum, divi Briareum quem nomine dicunt,
„ Aegaeona homines. advenit; robore praestans
„ Ille suum patrem, multo qui laetus honore
„ Caelicolas inter magna in Iovis aede sedebat.
„ Hunc veriti abstiterunt coepto di: vincla trementum
„ Excussa e manibus, libertas parta Tonanti est.

173 *Namque illos*, etc. Ne sibi imperium ab his tribus fortissimis ferocissimisque natis eriperetur, eos pater, ut primum pubertatem attingebant, vel teterrimo mandabat carceri, vel longe a se in alias regiones mittebat custodiendos. Sed a Iove liberati fuere.

177 *Intus Terra gemens*, etc. Aegre nimirum ferebat mater tantam patris in liberos crudelitatem: matrum enim ingenia procliviora plerumque quam patrum erga filios.

Maternum subito nocuas convertit ad artes
Ingenium. ferri tum diri ut protulit usum,
Extudit incurvam falcem, gnatisque vocatis
Vltro animos acuens sic moesto corde loquuta est.
O mea nequidquam soboles, heu crimine patris
Infelix, vestram si matrem audire iuvabit,
Iam fas, ulciscique scelus vestrumque parentem
Exercere malis: prior est molitus acerbum
Flagitium. sic fata parens: metus irruit ingens
Omnibus attonitis monitu. tum denique firma
Mente vafer Saturnus ita est sua dicta sequutus.
In me erit iste labor, genitrix: ego triste piabo
Exitium; neque enim patris mihi cura scelesti
Vlla super. prior ille nefas crudele peregit.
Dixerat. ingenti gavisa est pectore Terra,
Insidiasque parans occulta in sede locavit
Audacem gnatum: simul illi dentibus aspris
Dat falcem ingentem, multo simul instruit astu.

---

182 *O mea nequidquam soboles*, etc. Quum nullum saeviendi modum Caelus adhiberet, nullaque re lacessitus furere pergeret, mater natos adhortatur, ut extremo in malo extremum capiant remedium. Vides opinor, quam haec plena periculosae cuiusdam pravitatis exempla sint.

195 *Dat falcem ingentem*, etc. Terra igitur invenit usum falcis, ut homines, quos ipsa ferebat fructus, haberent, quo meterent. Sed eam tum Saturno dedit ad alium omnino finem longeque diversum. Qua ex re videlicet falcatus et falcifer a poëtis postea Saturnus dictus est, ut maxime improbitatis indicium perpetuo exstaret.

Iamque aderat Caelus ducens nigrantia noctis
Tegmina, et ardenti flagrans praecordia telo
Coniugis in gremium properat se infundere; et omnes
Incubat in partes. affusum protinus acer
Excitus insidiis gnatus laeva occupat ipsum,

---

198 *Coniugis in gremium properat* etc. Hinc fortasse illud Virgilii *Georg.* lib. II:

„ Tum pater omnipotens foecundis imbribus Aether
„ Coniugis in gremium laetae descendit, et omnes
„ Magnus alit magno commixtus corpore foetus.

Itaque, ut alias monui, si quis dicat, hanc omnem caeli cum tellure commixtionem nihil esse aliud, quam terram a pluviis irrigatam iisdemque foecundatam, Virgilii etiam auctoritate se tuebitur.

200 *Excitus insidiis gnatus* etc. Habitus heic metentis optime describitur: laeva enim aristas comprehendimus, dextraque falcem supponimus; quae quum resecantur, non amplius pubescunt; grana vero quae excutiuntur, rursum in terra adolescunt. Hinc illa, credo:

„ . . . . nam quotquot in alvum
„ Sanguineae erupere atro de vulnere guttae,
„ Suscepitque omnes terra, ac vertentibus annis
„ Edidit immanes et Erinnyas, et fera monstra etc.

Sed Clericus ingeniose rem aliter explicat, allegoriamque interpretatur. Quaenam sunt haec *μήδεα*, inquit, quae abscidit Saturnus? Omnino existimo Hesiodum, et qui eum hac in re antecesserant aut sequuti sunt, lusisse in ambiguo. Vox *μῆδος* duo significat *pudenda* et *consilium*, quumque audissent dici Saturnum *ἀποτεμεῖν μῆδος*, data opera ita rem acceperunt, quasi narraretur ei pudenda resecuisse, ut *τερατολογίαις*, quas habebant, locus daretur; quamvis probe scirent consilium seu consiliarios intelligi,

Ac dextra longis horrentem dentibus una
Corripiens falcem subito metit inguina patris,
Et proiecta retro dat ferri. nec tamen illa
Nequidquam fugere manu: nam quotquot in alvum
Sanguineae erupere atro de vulnere guttae,
Suscepitque omnes Terra, ac vertentibus annis
Edidit immanes et Erinnyas, et fera monstra
In manibus semper retinentes arma Gigantas,

---

quorum impulsu Thessalia excedere coactus fuerat Saturnus. Hosce igitur consiliarios fugavit, et navibus in Asiam redire coëgit. Sic Clericus: ipse enim in ea est opinione, quae et verisimilior et communior, primos Graeciae incolas sive Bosporum transfretantes, sive Euxinum circumeuntes ex Asia venisse, sedesque in Macedonia et Thessalia fixisse, quandoquidem illic erat Saturnus, quum a Iove victus est, ipseque postea Iupiter ibidem regnavit e Creta devectus. Haec vere digna sunt quae dicantur, nugae canorae. An hinc etiam antiqua illa Venus sine concubitu, et recens Spallantiana confirmabitur?

207 *Edidit immanes et Erinnyas*, etc. Nihil heic aliud fortasse, ut Clerico placeamus, nobis innuere videtur Hesiodus, nisi maxima bella caedesque exstitisse per terras Caelo devicto a filio Saturno. Erinnyes enim furiae sunt bellorum comites pugnarumque asseclae; Gigantes fortissimi milites, qui bellum contra Saturnum reparantes caedibus longe lateque saeviebant; nymphae autem Maliae hominum occisorum animae. Nam Clerico *Nephaschoth Mlouoth* hebraice vel phoenicie, seu *Naphschon Malejon* syriaca inflexione, sunt *animae plenae*, seu quibus expletum est vitae tempus. Porphyrius etiam antrum illud seu nymphaeum in *Odysseae* lib. XIII, de quo sic Homerus:

Et Nymphas, dicunt Melias quas nomine gentes.
Quin ferro postquam, ceu fama est, natus acuto
Foeda pudenda patris secuit, proiecit in undas
Aequoreas longe a terra. sic tempore multo
Summa ferebantur pelago: circumundique spuma
Excita caeruleos tingebat candida fluctus,

„ Desuper umbrosis complectens frondibus antrum,
„ Antrum horrendum, ingens, nympharum humentia templa
„ Naïadum. solido excisi de marmore circum
„ Crateres, ansisque utrinque exstantibus urnae,
„ Mellaque apes stipant, vivoque haerentia saxo
„ Stant iuga, ubi resono percurrunt pectine nymphae
„ Puniceo tenues variatas murice telas etc.

animabus sacrum credit, quas veteres ait vocasse Melissas, seu potius iuxta Hesiodum Melias. Sed quam parum fidendum huiusmodi etymologiis, satis omnibus opinor notum.

210 *Quin ferro postquam*, etc. En aliud e Saturni μήδεσι multo magis mirandum prodigium. Illa enim ferebantur ponto spumantia, eque ista thaumaturga spuma dearum pulcherrima concreta est Venus. At quid hoc monstri? Clericus opinioni, cui semel adhaesit, insistens, ait Caeli consiliarios a Saturno expulsos marique expositos Cythera primum appulisse, ex eaque sinus Laconici insula in Cyprum Veneris cultum seu Aphrodisia attulisse. Sed per Herodotum Cyprii non a Cytheris, sed e Syria hunc sacrorum morem acceperunt, ubi antiquissimum Veneris Vraniae templum erat in urbe Ascalone, eodemque teste lib. I c. 105 templum, quod est in Cytheris, condiderunt phoenices ex ipsa Syria devecti. His etiam Pausanias suffragatur. Porro norunt omnes, plures inveniri Veneres apud mythologos diversis nominibus pro diversitate locorum appellatas, quarum et diversa generatio fingitur. Certe haec Caeli filia, non Iovis.

Quae levis in teneram concrescere visa puellam est.
Illa petens primum sacram sedem alta Cythera
Ibat aqua in summa; dein et circumflua surgit
Cyprus ubi, molli devenit flamine vecta.
Continuo exiliit dea pulcra e gurgite: circum
Mollia sub teneris creverunt gramina plantis,
Et varii flores rubuere. illam Aphroditen,
Spumigenamque deam, et Cytherean serta gerentem
Diquehominesque vocant.quod spuma exorta nitenti,
Spumigena est; Cytherea, adiit quod nata Cythera;
Cyprigena, undanti quod Cypri in littore sedit:
Praetereaque Philommedes, genitalia nempe
Membra tuens, quod ab his concreta emerserit unda.
Protinus huic sese comites iunxere Cupido
Et pariter formosus Amor, divamque sequuti
Divorum in coetus gradientem, arcesque beatas.

---

228 *Protinus huic sese* etc. Amor et Cupido cum Venere heic societatem iniisse dicuntur. Ergo et ipsi inter se distincti sunt, et ante Veneris ortum existebant; ergo non eius filii, ut posteriores poëtae multi finxerunt. Amor quidem tam antiquus est, quam ipsum Chaos, uti vidimus. Cupidinem pariter vidimus Musis proximum habitare; sed Musae a Iove sunt genitae; quapropter hinc antiquitas Cupidinis nequit affirmari. An vero hae duae personae allegorice explicandae sunt, quod nimirum Venus quum in deorum hominumque conspectum se primum dedit, maximum sui amorem desideriumque mira formae pulchritudine excitarit? Ita profecto opinor. Erit ergo Amor caussa, Cupido effectus.

Hae subito laudes, haec illi munera certa
Sorte data, in terris inque alta sede deorum
Virgineos curare choros, risusque, iocosque,
Gaudiaque, illecebrasque, astusque, et dulcia furta.
At gnatos genitor saevus, quos ipse crearat,
Increpitans, diro Titanas nomine dixit,
Obiecitque nefas ingens, sumptumque nefandi
Supplicii crudele genus, quod sanguine quondam
Vltus, et immani miserorum caede piabit.
Nox autem Fatumque ferum Parcamque tremendam

---

231 *Hae subito laudes*, etc. Idest ante Iovis regnum haec illi fuit cura demandata, ut iuvenum puellarumque voluptatibus praeesset, resque amatorias administraret. Multa enim munera Saturno devicto antiquissimis deorum a Iove conservata, multa etiam addita, quae ante non habebant, ut mox videbimus, ubi de Hecata sermo erit.

235 *At gnatos genitor* etc. Docet Hesiodus, a patre Caelo filios esse dictos Titanes ἀπὸ τοῦ τιταίνειν, quod est *plectere*, quod nimirum ausi sunt in patrem manus iniicere. A Callimacho autem multisque aliis poëtis Titanes dicti sunt γηγενεῖς et πηλόγονοι e terra seu luto geniti, quod cum phoenicia explicatione nominis consentit; nam *Tit* est *lutum*. Quum addit porro:

„ Quod sanguine quondam
„ Vltus, et ingenti miserorum caede piabit.

alludit ad bellum, quod contra Iovem gessuri erant, et in quo victi fugatique aeternis erant in Tartaro suppliciis cruciandi.

240 *Nox autem Fatumque ferum* etc. Si haec tot tantaque monstra regnante Saturno Nox edidit, recte petit Clericus, quando illa exstiterit aurea hominum aetas ab He-

Eduxit Mortemque. sopor quoque natus ab illa,
Somniaque, haud ulli quae mixta effudit in auras
Nox, dea fusca. exin Momum plenamque dolorum

siodo in *Oper. et Dieb.* descripta, ac post illum ab aliis passim poëtis? Vide quae ipse ad hunc locum illustrandum affert; ubi illud in primis placet, quod dicit, sic homines a natura esse factos, ut praesentia dumtaxat mala sentiant, praeteritaque facile oblivioni mandent: quapropter senes ea, in quibus vivunt, tempora vituperare, exacta iam, laudare solent. Omnes enim, qui suam cum praeteritis aetatem conferunt, antiquiorem praeferre suae consueverunt.

241 .... *sopor quoque natus ab illa,* etc. Praeter Fatum Parcam Mortemque Nox genuit Somnum atque somnia suapte virtute. Nox enim, in qua propter tenebras ereptumque solis lumen a labore diurno desistimus, nos ad somnum allicit, facitque ut dormientes somniemus diversis rerum caussis agitati. Hinc etiam illa Virgilii:

„ Et consanguineus lethi sopor et mala mentis
„ Gaudia, mortiferumque adverso in limine bellum etc.

243 .... *exin Momum plenamque dolorum* etc. De Momo satis luculenter disserit Lucianus in deorum conventu, ubi suos ipsum mores naturamque inducit explicantem, omniumque deorum vitia non minus libere quam lepide carpentem. Nemo autem est qui non videat, eum idcirco Noctis filium dici ab Hesiodo, quod magis in usu sit aliena clam mordere quam palam allatrare. Clericus autem, phoenicissans de more, hoc nomen a voce phoenicia *Moum* aut *Mom,* quae *vitium* sonat, derivat. Quare et adiectivum *ἄμωμος*, quod habetur inferius, recte explicabitur *sine vitio* seu quod ab ipsa maledicendi libidine carpi nequeat. Aerumna item Noctis filia ex eo credo, quod curae noctu augentur; est enim per Ovidium Nox curarum maxima nutrix, quod mens in iis defixa, nec a sensu rerum aliarum

Aerumnam Hesperidasque, quibus sunt aurea curae
Malaque, et optatis pubescens fructibus arbos

---

distracta, insomnis magis haereat quodammodo in ea re, quae sibi displicet, tenaciusque insistat.

244 .... *Hesperidasque, quibus* etc. Nymphae Hesperides omnibus notae, uti et fabulae, quae de ipsis circumferuntur. Locus magis, quem incolebant, incertus: nam quidam scriptores eum fuisse in Africae continente, quidam in mari perhibent, iuxtaque Atlantem ad Occasum. Graevius immerito contendit, locum hunc fuisse insulas Gorgadas, quae sitae contra Ἑσπέρου κέρας a Pomponio Mela lib. III c. X olim descriptum, nunc a recentioribus geographis dictum *Caput viride*. Itaque nec iuxta Plinium horti Hesperidum statuendi in Berenice Cyrenaicae urbe, nec in Lixo urbe Mauritaniae Tingitanae; ubi, ait, regia Antaci certamenque cum Hercule et Hesperidum horti; sed in Oceano atlantico. Quod vero Oviedus lib. II *Hist.* affirmat, insulas Antillas esse veterum Hesperidas, itaque fuisse dictas ab Hespero XII hispaniarum rege, qui regnavit anno MDCLVIII ante Christum, nullius profecto momenti est. Non enim videtur is locus nomen ab ullo rege Hespero accepisse, sed a stella, quae noctem praecedit. Itaque graecis Hesperia est et Italia et aliae etiam regiones, quae ad noctem seu occasum solis respectu ipsorum sitae sunt. Vide Ovidium prope finem lib. IV *Metamorph.*, et Pontanum in *Hort. Hesp.* et Diodorum Siculum lib. IV *Biblioth.* qui omnes Hesiodo aliquid addidere.

245 *Malaque, et optatis* etc. Athenaeus lib. III scribit, mala Hesperidum Lacedaemone diis apponi solita, ac grati esse odoris, sed non comedi etc. Rursusque eodem loco Aemilianum dixisse docet, Iubam Mauritaniae regem virum doctissimum in commentariis de Libya meminisse citri, et affirmare vocari a Libybus malum hespericum; a quibus etiam Herculem tulisse in Graeciam mala, quae ob colorem dicun-

Oceani longe ad fines trans aequora nota.
Ipsa etiam immitesque deas emisit, et atras
ClothoqueLachesinque atqueAtropon. hae bona didunt

---

tur aurea etc. Diodorus autem Siculus lib. IV haec habet: In regione quae appellatur Hesperitis, aiunt fuisse duos fratres Hesperum et Atlantem; hos vero habuisse oves incredibilis pulchritudinis, colore rutilo, et ad aurum accedente: qua de caussa poëtae cum oves *μῆλα* vocarent, appellasse eas *χρυσᾶ μῆλα*. Hinc et Bochartus in *Chan.* lib. I: Aurea mala, quae draco observabat, fuisse vult opes vel ab eodem vel ab alio congestas, ex eo potissimum, quod pecora maximae fuerint veterum opes. Sed huic opinioni omnium ferme poëtarum consensus adversatur. Quid autem heic venit in mentem Guieto nos docere *καρπὸν κατ' ἐξοχὴν τόν σῖτον* esse per Hesychium? Sit ita sane: sed heic ab Hesiodo non alterius fructus fit mentio, nisi earum arborum, quarum fructus sunt mala aurea.

247 *Ipsa etiam immitesque deas* etc. Hesiodus quidem habet *καὶ μοίρας, καὶ κῆρας ἐγείνατο νηλεοποίνους*, quod valet *genuit Sortes et Parcas immites*. Sortes autem et Parcae unum idemque sunt, tantumque rebus diversis, quibus praeesse credebantur, distinguuntur, ab iisque nomen accipiunt. Parcae enim non solum vitam hominum curare, tempusque vivendi omnibus praefinitum tueri dicebantur; sed omnia, quae iisdem in vita, seu laeta seu adversa contingebant, efficere atque administrare; ac tum proprie erant Sortes. Hinc ea quae sequuntur:

„ Hae bona didunt,
„ Atque mala exortis primum mortalibus aegris.

Nomina autem earum sunt, Clotho a *κλωθεῖν*, seu *nere* singulis *τὸ εἱμαρμένον*; Lachesis a *λαγχάνειν*, *sortiri* seu *dividere τῷ μὲν ἀγαθὸν, τῷ δε ἐναντίον*; Atropos ab *ἀτρέπειν*, idest *non mutare quod destinatum est*.

Atque mala exortis primum mortalibus aegris;
Haeque hominum pariterque deum delicta sequutae
Numquam odiis cessant meritas assurgere in iras,
Ni prius admisso dederit pro crimine poenas,
Iustitiam quisquis violaverit. edidit ipsa
Et Nemesin, cladem mortalibus; et mala fraudis
Monstra, et concubitus turpes, nocuamque Senectam,

---

250 *Haeque hominum pariterque deum* etc. Quid hoc? An dii etiam peccare possunt? An et poenis esse obnoxii? Quidni? In tota poëtarum mythologia plurima huiusce rei exempla sunt. Hesiodi vero dii quum fuerint antiquissimi Graeciae incolae, priusquam essent in deorum numerum relati, iisdem, quibus ceteri homines, vitiis afficiebantur. Rem secus explicare sane difficile. Nam quod Scholiastes ait, haec esse idcirco dicta, ut homines intelligant, si Parcae deos etiam ausos fortasse peccare graviter punire queant, quanto magis homines, quorum vires nullo modo deorum viribus comparandae, punient; coactum omnino est ac pro arbitrio affirmatum.

254 *Et Nemesin, cladem mortalibus;* etc. Nemesis duplex numen. aliud poenas irrogare ac reos persequi credebatur; aliud in hominum animis pudorem excitare et quemdam metum, quo retenti a culpis abstinerent. De prima videsis quae collegit Rob. Constantinus in *Lexico;* alterius ipse meminit Hesiodus in *Oper. et Dieb.* v. 200, ubi illam cum pudore coniungit. Catullus ad Calvum Licinium scribens Nemesim inimicam etiam superbis docet:

„ Nunc audax cave sis, precesque nostras
„ Oramus, cave, despuas ocelle,
„ Ne poenas Nemesis reposcat a te;
„ Est vehemens dea; laedere hanc caveto.

255 *Monstra, et concubitus* etc. Sequuntur aliae quatuor

Teque gravi semper gliscens Discordia motu;
Vnde fera erupit soboles Luctusque, Laborque,
Et malesuada Fames, et rerum Oblivia, et acres
Pugnaeque, Insidiaeque, Necesque, et Praelia saeva,
Iurgiaque, et linguae Mendacia, Vinclaque vocum
Ambigua, et legum Contemptus, et aspera Noxa,
Cognatae formae, seque inter foedere iunctae;
Horcus et ille super, nostro qui plurima damna
Fert generi, quoties prudens quis peierat ultro.
Pontus item eduxit veraci Nerea mente

Noctis generationes, Fraus nimirum seu deceptio, φιλότης, et non δολότης, pro δολιότης, ut contendit Guietus, qui ideo expungebat φιλότητα, quod nullo modo videret conciliari posse amicitiam cum fraude. Sed φιλότης heic non est *amicitia*, verum *cum muliere congressus*, et quidem saepe fortuitus, et apud Homerum et apud Hesiodum, qualis est meretricius. Itaque ego libenter dixissem hoc loco vulgivagam Venerem hanc φιλότητα, nisi displicuisset Veneris nomen. Hoc pacto clarum est, eiusdem debere esse matris filias et ἀϖάτην, et φιλότητα. Senium deinde est atque Discordia, cuius filii, alia monstrorum turba, quae subsequitur.

263 *Horcus et ille super*, etc. Horcus, et non Orcus; quemadmodum scribendum esse hoc numen animadverti in *Operibus ac Dieb.* est deus iurisiurandi sacramento praeses, poenasque exigit gravissimas ab iis, qui ausi fuerint peierare. Verti etiam potuisset fortasse iusiurandum, sed placuit magis Horci nomen adhibere, quod est personae, non rei.

265 *Pontus item eduxit* etc. Suspicatur Clericus, Nerei nomen esse a phoenicio nomine *Naharo*, quod est fluvius; hinc non maris deum sed fluviorum esse vult Nereum, recteque dici Ponti filium, quod fluvii originem trahant a ma-

Fallereque ignarum. natorum hic maximus ortu
Exstitit; atque senex dictus, quod pectore vero,
Quod placido ingenio vigeat, nec iura nec aequum
Despiciens leges semper sciat ipse tueri.
Post hunc Thaumantem magnum, Phorcynque valentem

---

ri. Sed ego video fere ab omnibus poëtis ac mythologis Nereum maris deum esse habitum, ducoque omnino supervacaneum, testimonia poëtarum id confirmantia afferre. Quin si liceret uti coniecturis, ut certe licet his potissimum in rebus, ego Nereum non maris cuiuscumque, sed Ponti, idest maris Euxini filium statuerem. Pontum enim superius v. 131. Hesiodus et a Pelago, et ab Oceano discrevit. De laudibus autem quas vates in Nereum congerit, nihil habeo, quod dicam, nisi velim ineptire cum Iohanne Diacono, qui ideo Nereum a poëta dictum veracem placidumque putat, quod ii qui in mari degunt, quum sibi quotidie mortem instare timeant periculis usque maximis agitati, recte vitam instituere soleant eo metu perterriti. Bonus iste Diaconus minime sane norat nautarum mores, qui, ut leviter dicam, non optime solent audire. Clericum ipsum hoc loco non moror, qui has laudes repetit ab iis phoenicum vocibus, quae aliquam habent similitudinem cum Nerei nomine: nimis enim videntur coactae.

270 *Post hunc Thaumantem* etc. Thaumas est Iridis pater. Ideo autem eumdem Ponti Terraeque filium esse dictum credo, quod vapores quos Terra Pontusque exhalat, concrescunt in pluviam, ex qua a Sole illustrata reflexis rite refractisque radiis Iris exoritur. Ei autem Thaumanti nomen inditum puto, quod eius filia Iris illa

„ Mille trahens varios adverso Sole colores

formosa est, maximaeque omnibus admirationi. Ceterum si antiqui poëtae hac aetate vixissent, non Thaumantem, sed

Commixtus Terra genuit, Cetoque decentem,
Eurybiamque animum duro ex adamante gerentem.
At Nereo genitore et pulcra e Doride gnata
Oceani, extremi fluviorum in gurgite vasto
Oceani, aequoreae sata gens celeberrima nymphae

ipsum Solem Iridis patrem statuissent, quod elegantissimo carmine praestitit Carolus Nocetius. Eodem autem versu mentio fit Phorcynis. Hic nauclerus fortasse quidam navigandi fuit peritissimus, qui cum inter deos ab hominibus eamdem artem profitentibus relatus fuerit, portuum orarumque variarum praeses habitus est, in iisque colebatur, ut non semel Homerus in *Odyssea* testis est.

271 . . . . *Cetoque decentem*, etc. Cur Ceto decens seu mavis formosa, quae natas maxime deformes edidit, heic dicatur, plane fateor ignorare. An illud additum *καλλιϖάρῃον* est unum e perpetuis mulierum additis? Graeci sane poëtae hac in re liberiores quam latini. Eurybia vero ideo fortasse ferreum habere animum dicta est, quod late terra marique violentiam exerceret: *εὖρυς* enim est *latus, a, um*; et *βία vis*. Sed hoc est divinare aut potius desipere.

273 *At Nereo genitore* etc. Foecundissimae Nerei, Ponti filii, et Doridis filiae Oceani fuere nuptiae, ex quibus quinquaginta Nereïdes, quarum heic nomina recensentur, exortae sunt. An haec nympharum multitudo Nerei proles dicitur, quod Pontus Euxinus, cuius ipse filius, multis magnisque fluminibus in se confluentibus celebris est? Clericus suspicatur, quemadmodum alias nymphas statuerat animas defunctorum, ita etiam hasce animas eorum esse, qui aut in mari vitam amiserunt, aut insulas primi coluerunt. Ne mirere autem heic Oceanum ab Hesiodo dici fluvium; nam et ab Homero saepe hoc nomine insignitur, propter aestum, credo, quo agitatur moveturque.

Protoque, Eucrateque, Saoque, Amphitriteque,
Eudoreque, Thetisque, Galeneque, Glauceque,
Cymothoë, Spioque, Thoe, Thalieque venusta,
Eulimene, et Melite iucunda, et suavis Agave,
Pasitheeque, Eratoque, ulnasque rubens Eunice,
Dotoque, Crantoque, Pherusaque, Dynameneque,
Nesaea, atque Actaea, et candida Protomedia,
Dorisque, et Panopea, et pulcra genas Galatea,
Et roseo Hippothoë simul, Hipponoëque lacerto,
Cymodoceque, sali quae nigro in marmore fluctus
Flabraque ventorum facile gliscentia mulcet
Cum talos pulcra Amphitrita et Cymatolega;
Cymoque, Eïoneque, bene et redimita Halimede,
Glauconome risu gaudens, et Pontoporia,

---

276 *Protoque, Eucrateque*, etc. Animadverte multa nympharum nomina, quae in hoc Hesiodi catalogo leguntur, diversimode scripta esse et apud Hyginum et apud auctorem Bibliothecae, qui Apollodorus esse creditur; complura etiam esse omissa. Notum est autem omnibus, qui graece sciunt, haec Nereïdum nomina pro arbitrio poëtarum ficta, sed ita tamen, ut singulis sua sit significatio, et munus aliquod inditum, quo nautae aut indigere aut gaudere aut etiam adiuvari possint. Videsis singulorum nominum explicationem diligentem apud Hesiodi graecum Scholiasten.

281 *Dotoque, Crantoque*, etc. Textus vulgatus habet *Dotoque, Protoque*, etc.; sed quum Proto superius iam fuerit nominata, aut illic corrupte hoc nomen legitur aut heic. Habemus Cranto Nereïdis nomen, ut bene observat Graevius apud auctorem Bibliothecae: hinc expungendam Proto iudicavi, et substituendam Cranto, ne temere nomina repeterentur eadem.

Liagoreque, atque Evagore, almaque Laomedia,
Polynome soror, Autonoëque, et Lysianassa,
Evarneque animi formaeque insignis honore,
Et Psamathe membris spectanda, et dia Menippe,
Nesoque, Eupompeque, Themistoque, Pronoëque,
Nemertesque, patris quae mentem in pectore servat.
Egregii haec proles Nerei, tot nomina, nymphae
Quinquaginta, omnes clarae praestantibus orsis,
Omnes excultae, atque insignes artibus omnes.
Oceani duxit prognatam sanguine Thaumas

---

299 *Oceani duxit* etc. De Thaumante Terrae Pontique filio paullo superius diximus. Heic dicitur Electrae Oceani filiae nupsisse, atque ex ea suscepisse Irim atque Harpyas. Iam de Iride pauca innuimus; restat animadvertendum aliquid de eiusdem nomine. Iris deorum est nuncia, uti notum, quae res ex eo fortasse ficta, quod Iridis arcus ad caelum usque a terra pertingere videtur, quamdamque hominibus cum diis communionem efficere. Clericus notat ab Hebraeis vocari *Hirim* vel *Irim* vigiles aut monitores, quos eosdem esse vult, ac eos, qui Angeli a Graecis appellantur. Ego Iridis nomen malim derivare cum Scholiaste *ἀπὸ τοῦ εἴρω*, quod est *dico* seu *nuncio*. Cuius significationis luculentissimum me habere puto exemplum lib. XVIII *Odyss.* in ipso initio, ubi Homerus de Iro illo, qui cum Vlysse Procorum impudentia incitatus pugnavit, ita dicit iuxta latinam meam versionem:

„ Interea stetit ante fores conquirere victum
„ Vndique suetus homo vastaque voragine ventris
„ Notus inexpleti, cui nullae in corpore vires,
„ Nullum et robur erat: tantum se mole ferebat
„ Arduus ingenti. primis hunc mater ab annis

Electren, Irin celerem quae fudit ab alvo,
Pulcricomasque Harpyias Aëlloque Ocypitenque,
Quae ventos aviumque fugam pernicibus alis
Praevertunt, pariterque citae in sublime feruntur.
Hinc Graeas Phorcyni enixa est candida Ceto
Canitie insignes aetatis vere sub ipso,

„ Dixerat Arnaeum; post Irum nomine cives,
„ Nuncia quod referens ibat, dixere vocantes.

Et paullo post, ubi Vlysses paratus ad pugnam magnos membrorum artus lacertosque exutus ostendit, subiicit Homerus:

„ At pubes mirata stupet, mussatque vicissim
„ Respiciens: iam non Irum gravis exitus Irum
„ Accipiet; tam plena etc.

Ille nimirum qui nuper nuncia hac illae cursitans ferebat in urbe, male mulctatus ab Vlysse pristino fungi munere non poterit, ex Iroque fiet non Irus. Quod vero pertinet ad Harpyas, ego dixerim ab ἁρπάζω dictas, quod rapaces maxime sint habitae. Locustas vult esse Clericus, idque dicit se multis ostendisse in Dissert. *De Statua salina*, quod opus non legi. Earum nomina sunt Aëllo et Ocypete, quod nimirum turbinis aut procellae in morem celeriter volant.

304 *Hinc Graeas Phorcyni* etc. Ceto ipsam ego dictam ab Hesiodo καλλιπάρηον duco, non eius filias. Sic et Seleucum Scholiastes hunc locum intellexisse scribit: ἄμεινον δὲ γράφειν καλλιπάρηος, ἵν' ᾖ ἐπὶ Κητοῦς τὸ ἐπίθετον. Alii enim interpretes id ipsis tribuunt Graeis. Itaque verti candida Ceto: nam candidus apud latinos poëtas saepe valet ac pulcher, ut in illo Virgilii versu.

„ At Venus aetherios inter dea candida nimbos etc.

Graeae vero sunt graecis vetulae: earum nomen Pephredo Enyoque, quod φρίσσειν ἡμᾶς καὶ κραυγάζειν ποιοῦσι.

Quas ideo Graeas quondam cognomine graio
Dixeruntque homines et dii stellantis olympi,
Pephredoque, Enyoque; hanc palla rite per artus
Fulgenti, hanc croceo laetam velamine; et acres
Gorgonas, occiduis degunt quae finibus alti
Oceani trans aestum; ubi sunt et acuta sonantes
Hesperides, Stheno, Euryaleque, atque atra Medusa
Exitium perpessa. duae immortale trahebant
Aevum, atque expertem senii lethique iuventam;
Haec mortalis erat. glaucis Neptunus ab undis

Scholiastae autem Phorcys est ἡ περίφορα τῶν ὑδάτων, Ceto τὸ βάθος, Graeae vero ὁ ἀφρός. Quod autem altera dicatur εὔπεπλος, altera κροκόπεπλος, ideo est, ait Iohannes Diaconus, quia interdum ad optimum exitum fluctus propellunt navesque deducunt in portum; interdum vero in scopulosum locum periculique plenum nautas redigunt vi tempestatis. Vides opinor non sine risu, in quas ineptias allegoricae saepe desinunt interpretationes.

310 *Gorgonas, occiduis* etc. Gorgones nymphae seu mulieres, quae in Oceano iuxta Africam in insulis Gorgadibus habitabant, Hesperidesque et ipsae dicebantur, quod ad occidentem solem incolebant, habitaeque sunt, ait Pomponius Mela, adeo efferis asperisque moribus, ut quaedam retineri, ne reluctentur, vix vinculis possint. Id ille ex Hannonis Poeni periplo accepit: sed quae pseudo-Hanno, uti notat Clericus, retulit de insula, in qua huiusmodi mulieres inveniebantur, et ex quibus nata fortasse Gorgonum fabula, melius quadrant in insulam Gambiam inter duo ostia Nigri fluvii e regione Gorgadum sitam. Haec omnia incerta.

315 *Haec mortalis erat. glaucis Neptunus* etc. Huius.

Prosiliens quondam verna inter germina florum
Concubuit pratis in mollibus; atque ubi Perseus
Desecta cervice olli caput abstulit ense,
Exiliit Chrysaorque ingens, et Pegasus ales,
Pegasus, Oceani fontes quod natus ad altos,
Dictus, et auratum Chrysaor quod sustinet ensem.

---

rei paullo aliter mentionem fecit Ovidius prope finem lib. IV *Metamorph.* inquiens de Medusa:

„ Hanc pelagi rector templo vitiasse Minervae
„ Dicitur. aversa est, et castos aegide vultus
„ Nata Iovis texit; neve hoc impune fuisset
„ Gorgoneum crinem turpes mutavit in hydros.
„ Nunc quoque ut attonitos formidine terreat hostes,
„ Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.

318 *Desecta cervice* etc. Fabula notissima, de qua vide ipsum Hesiodum in *Scuto*. Clericus latere heic aliquid veri suspicatur de equis nimirum ex ultima Africa in Asiam avectis a Persis, quod facinus graeci de more argivo suo Perseo tribuerunt nominis similitudine adducti. Certe Pegasus alatus equus habitus est, nempe pernicissimus, quales sunt Numidarum equi. Sed an etiam Chrysaor aliquod simile fuerit monstrum? Minime enim vero; quamquam Ovidius sine ullo discrimine ita de utroque scribat lib. IV *Metamorph.*:

„ . . . . pennisque fugacem
„ Pegason, et fratrem matris de sanguine natos.

Chrysaor enim Iovi fulmen ministrare, quod certe equorum non est, et ensem tenere ab Hesiodo dicitur. Pegasi nomen a poëta deducitur *ἀπὸ τῆς πηγῆς* nimirum fonte; Chrysaoris autem ab aureo ense, quem manibus tenebat: *ἄορ* enim est *ensis*. Desiderandum esset, ut plura de eodem nobis dixisset Hesiodus.

Atque ille effugiens alte pernicibus alis
Vt patriam liquit flaventia mala ferentem,
Caelicolas adiit, placidaque in sede receptus
Horrisono tonitruque Iovi fulgurque ministrat.
Post etiam triplici surgentem vertice magnum
Geryona eduxit thalamis et amore potitus
Calliroae nymphae pulcherrimae Oceanines.
Illum autem Alcides fulgentibus exuit armis
Iuxta armenta boum, quum turbidus ex Erythia
Irrigua validos lunata fronte iuvencos

---

326 *Post etiam triplici* etc. Chrysaor ex nympha Calliroa Oceani filia Geryonem suscepit, qui forte triceps ideo fuisse dicitur, quod fuerit dux trium agminum, quae ab Hercule, quum in eius regnum incursionem fecisset, victa ac profligata sunt.

330 *Iuxta armenta boum*, etc. Haec in Erythia gesta: Erythiam autem Strabo docet lib. III *Georg.* Gadira videri vocare Pherecydem, in qua quae de Geryone dici solent, fabulantur contigisse. Alios vero eo nomine vocare insulam obiectam huic urbi, et freto unius stadii diremptam etc. Posteriores etiam scriptores eamdem insulam statuunt Hispaniae proximam, de cuius pascuorum bonitate vide eodem loco Strabonem. Samuel Bochartus negat Erythiam fuisse aptam alendis saginandisque bobus, sed ovibus, contra quem, si vacat, Clericum disserentem in edit. sua ad hunc versum consule. Volunt praeterea quidam, hanc postea insulam dictam fuisse Aphrodisiadem, et insulam Iunonis a templis Astartes deae Tyriorum, quam et Venerem et Iunonem graeci interpretabantur. Porro recentioribus plerisque geographis Erythia nunc *Barlenga* dicitur, cui adiacet alia minor insula *Barlengota* dicta etc.

Oceani spatia emensus procul egit in almam
Tirynthum, Orthoque exstincto atque Eurytione
Turpibus in stabulis trans vasti gurgitis oras.
Ipsa aliud peperit portentum informe, neque ulli
Aut hominum simile, aut divum supera alta tenentum:
Rupe sub excisa, divinam robore Echidnam
Indomito; pulcram medio quae corpore nympham
Spectandamque nigris oculis referebat; at acrem
Parte alia horrendumque voracemque atraque guttis
Sanguineis foede maculosum terga colubrum.
Illa specu in vasta curvo sub montis hiatu
Longe hominum pariterque deorum a sede remota
Incolere obscuras terrarum est iussa latebras,
Fata ubi signavere domum. sic nympha sub ima
Terra habitans Arimos iuxta metuenda latebat

---

333 *Tirynthum, Orthoque* etc. Tirynthus Herculis patria, de qua in *Scuto*, unde Tirynthius heros. Orthos vero, seu Orthoos, ut ab Apollodoro vocatur, canis est natus ex Echidnae et Typhonis concubitu, quemadmodum inferius videbimus Eurytion autem custos pastorque armentorum Geryonis.

335 *Ipsa aliud peperit* etc. Postquam Hesiodus ea quae ad Chrysaorem et eius filium Geryonem pertinebant, breviter retulit, iterum ad Medusam relabitur, eamque matrem Echidnae commemorat nulla habita vel temporum vel locorum ratione. Echidna autem, de qua multis vates, erat monstrum biforme, partim puella formosissima, partim draco terribilis.

346 *Terra habitans Arimos iuxta* etc. Arimi sunt Syri. Ergo Echidna habitabat in una e regionibus, quae dice-

Nec senio turpi nec dirae obnoxia morti.
Cui perhibent ferali in amore Typhaona mixtum

---

bantur a syris lingua patria *Aram*. Addit Clericus, has oras omnes fuisse ad Orientem maris interni circa Euphratem, ut auctor est et Seldenus in *Proleg. Operis de diis syris*, et Bochartus in *Phalego*, et multi alii scriptores.

348 *Cui perhibent* etc. Singulare sane connubium semiserpentis et venti vehementissimi. Si scholiastas audias, heic allegorice Hesiodus diversas ventorum sub terra generatorum commotiones innuit; si astronomos, tempus hyemale seu solem in signis hyemalibus; si vero Clericum audias, veram historiam a Phoenicibus auditam sed male a Graecis intellectam heic fabulis involvit poëta. Is enim, et recte quidem, *Arimos* vult esse tractum Palaestinae, in quo erant urbes Sodoma, Gomorra, Adma et Tsebohimi, quarum incolae voce patria *Tipho* signabantur, quia submersi erant in lacu Asphaltite; nam ea vox *submersum* sonat. Vox vero Echidna est interpretatio per eumdem Clericum vocis *Tseboah*, unde factum nomen urbis *Tsebohim*; nam *Tseboah* serpentis genus est, ut docet etiam Sam. Bochartus in *Hieroz* part. II lib. III cap. VII. Hinc sequitur, Graecos, quum audissent a Phoenicibus, *Tsebohitam cum submerso descendisse in terrae cavernas in Aramaea*, vertisse *viperam cum Typhone descendisse* etc. Tota in eo aequivocatio est, quod nomen incolarum urbis *Tsebohim* crediderunt esse nomen serpentis, et nomen appellativum *Tipho*, quo significabantur omnes submersi in lacu Asphaltite, nescio cuius monstri esse proprium nomen putarunt. Ita rem digerit ingeniose atque erudite Clericus. Ceterum Strabo qui lib. XVI docet *Arimos* per Posidonium esse non locum aliquem Syriae vel Ciliciae vel alterius terrae, sed Syriam ipsam, addit Orontem fluvium nomen ab illo, qui in eo pontem fecerat, Orontis mutasse, quum antea vocaretur *Typhon*.

Praevalidi horrisonum venti genus; ac fera nata
Concubitu ex isto monstrosae germina prolis.
Geryoni namque ipsa canem prius edidit Orthon;
Dein Diti immensum atque immensa voce latrantem
Cerberon omnivorum, cui turgida colla superne
Quinquaginta horrent, totidem capita atra furenti.
Hydram tum genuit, monstrum implacabile terris,

Huic autem loco, quae de *Typhone* a fulmine icto et de *Arimis* fabulae docent, afficta esse. An et illa Campaniae insula *Inarime*, sub qua Virgilius aliique latini poëtae *Typhoeum* degere dixerunt, facta est ex male intellectis vocibus ἐιν Ἀ'ρίμοις? Ita sane videtur coniuncta praepositione cum ipso nomine.

350 *Concubitu ex isto* etc. Ex Echidna et Typhaone, duobus monstris teterrimis, quid nisi monstra nascerentur? Orthus et Cerberus canes, alter Geryonis occisus ab Hercule, de quo superius iam dictum est; alter Plutonis, de quo plura fortasse, quam oportebat, passim dixerunt poëtae. Hunc tricipitem multi finxerunt, sed Hesiodus quinquaginta capitum turba vallatum facit, iisque non contentus Pindarus alia addit quinquaginta capita, ut sit ἑκατογκέφαλος. Variat et Simonides.

355 *Hydram tum genuit*, etc. Tertia Echidnae soboles Hydra, quae et ipsa centum capitum fuisse dicitur, Lernaeamque paludem insedisse, fatumque ex Herculis manu invenisse. Sub hoc nomine, ut aliqui suspicati sunt, significantur fortasse a poëta vel incolae paludis Lernaeae, vel serpentes, quibus ea loca scatebant, ferocissimi, vel septem turrium arx quaedam ab Hercule excisa. Lerna est palus in Argis, quam iuxta alios pestiferam Hercules exsiccavit. Hydram Plato sophisten quemdam dicit, ut notat Bannierius pag. 275.

Lernaeam; niveis Iuno quam candida palmis
Nutriit, Alcidae nimium indignata. sed illam
Amphitryoniades mavortio Iphiclidae
Additus, auxilioque Ageliae Pallados usus,
Perculit insurgens, ac multa caede peremit.
Mox eadem patulis spirantem naribus ignem,

---

358 *Amphitryoniades mavortio Iphiclidae* etc. Iolao nimirum Iphiclei gnato, cuius aurigatione, et in pugna contra Cycnum Martis filium usus est Hercules. Vide *Scutum* etc.

359 . . . *Ageliae Pallados* etc. Quemadmodum Herculi Iuno semper infesta fuit, ita Pallas propitia. Porro Α'γελεία Graecis dicitur Pallas, quod praedatrix est ab ἀγὼ nimirum et λεία. Hoc vero adiunctum, quum sollemne sit Palladis, placuit retinere in latina etiam versione.

361 *Mox eadem* etc. Echidnae proles etiam Chimaera, cuius multi poëtae meminerunt, ac in primis Homerus *Iliad.* lib. VI, ubi haec habet de Bellorophonte:

„ . . . . mora nulla, profectum
„ Indomitam iussit prosternere morte Chimaeram,
„ Monstrum horrendum, informe, atrox, nec semine cretum
„ Mortali ante leo, postremo corpore serpens
„ Squameus, in medio capra ingens, ore vomebat
„ Caeruleam vasto flammam. crudele peremit
„ Ille tamen monstrum etc.

Heic autem velim animadvertas, Hesiodum, quum in huius monstri descriptione dixerit tria eidem capita fuisse, leonis nempe, serpentis, atque caprae, repetere eamdem descriptionem duobus versibus, qui nullo mutato verbo et in Homero leguntur: Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων etc., quos quidem duos versiculos Clericus opinatur, Hesiodum, aut ab Homero mutuos sumpsisse, aut quum vulgo ferrentur ore hominum, suo poemati impune inseruisse. Quod quum di-

Torvamque,ingentemque,trucemque,et robore fortem.
Pernicemque pedes partu est enixa Chimaeram.
Tres illi capitum species: quarum una leonis,
Altera serpentis metuendi, ac tertia caprae.
Prima leo, postrema draco, media obsita setis
Capra videbatur, flammasque ex ore vomebat.
Hanc tamen aggressus valido cum Bellerophonte

---

cit, Hesiodo Homerum antiquiorem putat, cui sententiae, ut et alias monui, non facile assentior. Ego potius dixerim, duos hosce versus amanuensium negligentia huc intrusos, quod illos forte in codicis, quem exscribebant margine signatos invenissent ab aliquo viro erudito, quasi illustrationem hoc loco appositam. Nihil enim habent novi, quod dictum non fuerit; et contra Hesiodia haec Chimaerae descriptio duobus hisce Homeri versiculis recte illustratur. Vide recentissimam *Gr. hist.* a cl. Denina conscriptam lib. I cap. IV.

368 *Hanc tamen aggressus* etc. Equo Pegaso nimirum usus Bellerophon cepit Chimaeram mostrumne verum, an montem trium iugorum formam aliquatenus animalium superius dictorum referentium in Phaselide, quae est Lyciae pars, quam et Ovidius Chimaeriferam appellat? Montem certe: nam Ctesias *Cnidius* apud Photium habet haec verba, quae Plinius *Hist. nat.* lib. II vertit: *Flagrat in Phaselide mons Chimaera et quidem immortali diebus ac noctibus flamma.* Strabo autem de iisdem Lyciae montibus loquens lib. XIV ait: *His montibus fabula Chimaerae affingitur.* Nec sane novum est monstra fingere e montibus; nam et Homerus ex duobus Siculi freti scopulis duo monstra effinxit, famosam illam Scyllam et Charybdim. Nonne et ipsa Sicilia in numis siculis quasi quoddam muliebre monstrum cum tribus cruribus femineo capiti adnexis exprimitur ad significanda tria eius insulae promontoria, propter quae etiam triquetra

Pegasus edomuit. sed enim prius illa crearat
Sphinga luem diram Cadmaeis pressa furenti

---

dicta est? Hinc patet, cur flammas efflare Chimaera dicebatur, cum ille mons ita dictus, quemadmodum alia loca, in quibus etiam num Vulcani visuntur, continuo arderet. Praeterea observandum est, Homerum *Iliad.* vI, ubi a Bellerophonte Chimaeram excisam memorat, continuo subdere:

„ Hinc Solymam genti (nec durior ulla
„ Vsquam pugna fuit) regis iussu intulit arma.
„ Fudit Amazonium post haec interritus agmen.
„ Huic aliam struxit rex fraudem: namque rediret
„ Quum bello victor etc.

Hae certe sunt bellicae Bellerophontis expeditiones, quas heros fortissimus Proeti iussu suscepit. Nihil igitur facilius, quam et in Chimaera monte altissimo ac praerupto gentem aliquam ei fuisse domandam, quod ut faceret, pene alis indiguisse; ideoque Pegaso equo illuc vectus esse dicitur, quemadmodum Clerico hunc locum illustranti visum est.

370 *Sphinga luem diram* etc. A Chimaera vates ortam esse ait Sphingem, quam Apollodorus *Biblioth.* lib. III dicit: Habuisse quidem faciem mulieris, pectus vero, pedes et caudam leonis, ac pennas avis. Didicisse autem aenigmata a Musis, Phiceumque montem insedisse: haec Thaebanis solitam proponere, atque eos, qui solvere nequiebant, occidere. At scholiastes inquit: Sphinx revera fuit mulier latrociniis dedita, et habuit multos secum qui una rapiebant. Huic opinioni consentire videtur Pausanias in *Boeot.* Nam agrum Thebanum describens, mentione iniecta templi Herculis Hippodoti, ait: Progredientibus occurrit mons, unde ferunt erupisse Sphingem in perniciem eorum, qui rapiebantur, aenigma cantantem. Alii vero latrociniis deditam, et cum copiis navalibus errantem aiunt eam tenuisse mare usque ad Anthedonem: deinde hoc monte occupato

Quondam Ortho; Nemeaeque malum exitiale leonem,
Quem coniux veneranda Iovis quum pavit in antro

---

latrocinia exercuisse, antequam Oedipus eam interfecisset, superatam multitudine copiarum, quibus instructus Corintho venerat. Cacteras fabulae circumstantias vide apud Clericum distinctius explicatas, et si non rem ipsam, certe hominis ingenium laudabis, quorum si abuti otio mihi liceret, cur dicere non possim, hanc feminam ducem fuisse reliquiarum gentium illarum, quas Bellerophon in monte Chimaera devicerat, postque varios errores in agrum Thebanum devenisse eumque latrociniis caedibusque infestasse? Sic aliqua saltem caussa haberetur, cur Sphinx a Chimaera generata esse dicatur. Alii Sphingem Laii filiam dixerunt, ut et Denina lib. I c. 4 *Gr. hist.*

371 . . . . *Nemeaeque malum* etc. Proles altera Chimaerae et Orthi canis Geryonaei, leo Nemeaeus. Docet Pausanias in *Corinth.* a Cleonis Argos duas esse vias; alteram expeditis hominibus et breviorem; alteram vero Treti ita dicti angustam et ipsam, montibus undique cingentibus, sed aptiorem vehiculis. In hisce montibus, dicit, speluncam etiamnum ostendi leonis, a quo Nemea vicus stadiis abest circiter quindecim. Mox subdit: In hoc etiam tractu est mons Apesas supra Nemeam. Quoniam vero semel non ineptire solum, verum etiam somniare coepimus, cur non dicamus, missis vulgarium mythologorum explicationibus, hunc ipsum Nemeaeum leonem fuisse aliquem latronum principem, qui a Chimaera devectus hunc tractum montium circa Nemeam insederat, atque ea loca omni crudelitatis immanissimae genere, uti Sphinx insidiis, vastaverat, antequam victus atque caesus cum sociis fuerit ab Hercule? At Dupuisius in *Mem. de orig. Constell.* addita tom. IV *Astron.* Delalandii haec omnia ad astronomiam refert, ubi Herculis labores astronomice explicat.

Vmbrifero, Nemeae nemorosa in sede locavit
Excidium populis. ibi longum insedit, et arva
Implevit trepida formidine late Apesanti
Et Nemeae dominatus; eum dum vulnere stravit
Herculis indomito gliscens in pectore virtus.
Ceto autem cupidi flagrans Phorcynis amore,
Mixtaque concubitu, stridentem protulit Hydrum,
Qui vigil, extremis in finibus, aurea mala
Excubiis servat latitans tellure sub ima:
Vltima Phorcynis Cetusque haec edita proles.
Fudit at Oceano labentia flumina Tethys
Eridanum,et Nilum,Alpheumque,et Strymona,et Istrum,

---

378 *Ceto autem cupidi* etc. Cetus et Phorcynis superius etiam mentio incidit. Hic vero serpens, qui ortus a Ceto dicitur, nihil aliud est, nisi custos arborum, quae mala aurea ferebant, et de quibus iam egimus. Serpentibus res pretiosae custodiendae ab antiquitate assignabantur, quemadmodum et Delphis oraculum servabat Python serpens, et alius Martium fontem Thebis vicinum, et Colchis vellus aureum, et sexcenta huiusmodi. Recte enim coniicit Clericus voces Ὄφις et Δράκων esse ab ὄπτομαι et δέρκομαι, quae verba significant *videre;* adeoque non inverisimile, idem significare, esse in aliquo loco divitiarum pleno serpentem, ac custodem bene oculatum.

383 *Fudit at Oceano* etc. Bene fluvii dicuntur Oceani Tethyosque filii, vel quod a mari originem ducant per intimos terrarum meatus, vel quod a pluviis solutisque nivibus, quae ipsae a maris vaporibus aliisque exhalationibus in aëre concrescunt, ortum habeant. Haec autem fluminum ennumeratio est omnino vaga ac sine ordine digesta. Eridanus pertinet ad Insubriam in Italia, Nilus ad Aegy-

Maeandrum, ac Rhesum, Phasinque, et purum Acheloum,
Nessumque, Rhodiumque, Haliacmonaque, Heptaporumq:,
Granicumque, atque Aesapum, Simoëntaque dium,
Peneumque, Hermumque, fluentem et lene Caicum,
Sangarium et latum, Ladonaque, Partheniumque,
Evenum, Ardescumque, et sacro fonte Scamandrum.
Praeterea et natas peperit, quae per sola terrae
Educunt homines cum rege et Apolline et almis

---

ptum, qui ab Homero Aegyptus dictus est, Alphaeus ad Peloponnesum, quem cum Arethusa Siciliae fonte immisceri vates prodiderunt, Strymon Orphei cantu celebris ad Thraciam, Ister ad Scythiam, Maeandrus ad Lydiam seu Cariam, Rhesus ad Troiam, Phasis ad Colchos, Achelous ad Acarnanes, Nessus ad Thraces, Rhodius ad Troadem, Halicmaon ad Macedones, Heptaporus, Granicum seu Granicus, Aesapus, atque Simois ad Troadem, Peneus ad Thessaliam, Hermus ad Lydiam, Caïcus ad Mysiam, Sangarius ad Phrygiam superiorem, Ladon ad Arcadiam, Parthenius ad Paphlagoniam, Evenus ad Aetoliam, Ardescus ad Scythiam, Scamander ad Troiam. Sic scholiastes, quem, si placet, adito.

391 *Praeterea et natas* etc. Fluviis fontibusque sacri sunt adolescentes, quia iisdem terra irrigatur, emittitque a sole calefacta fructus, quibus vescimur atque alimur. Videmus etiam solitos fuisse adolescentes in Graecia comas alere, easque quum primum tonderent, Apollini aut fluviis offerre. Notum illud, quod Homerus *Iliad.* lib. xxiiI in funere Patrocli fecisse dicit Myrmidones ipsorumque ducem Achillem.

„ Heic aliud caro designat munus amico
„ Aeacides. busto secedens namque parato
„ Ipse comam ferro secuit sibi, pulcra nitentem,
„ Sperchio sacram fluvio quam intonsus alebat:

Cum fluviis, fato sortitae hoc ab Iove munus;
Pithoque, Admeteque, Iantheque, Electreque,
Dorisque, Prymnoque, atque Vranie similis dis,
Hippoque, Clymeneque, Rhodiaque, Calliroëque,
Zeuxoque, Clythieque, Idyiaque, Pasitheeque,
Plexaureque, Galaxaureque, et amanda Dione,
Melobosisque, Thoëque, et formosa os Polydore,
Cerceisque animo facili, spectandaque magnis
Pluto oculis; tum Perseïs, Xanthoque, et Acaste,
Atque Ianira, Petraea, Menesthoque, Europeque,
Metis, et Eurynome, croceaque in veste Telestho,
Crisieque, Asieque, Calypsoque ore renidens,

„ Dehinc pontum aspectans moerenti haec pectore fatur.
„ Sperchie, incassum Peleus pater hanc tibi vovit,
„ Me patrias reducem ad sedes post bella daturum
„ Sectam rite comam, magnorum et pinguia centum etc.
deinde subdit paucis interiectis verbis quasi veniam petens a Sperchio
„ . . . . . . dulcem nunc tristia quando
„ Fata negant reditum, decisum hunc vertice crinem
„ Patroclo extremos praestat dare munus in ignes.
notandum vero est: vocem *κουρίζουσιν*, qua Hesiodus utitur, duplicem posse habere significationem, nempe *alunt* et *tondent*, ut Hesychius animadvertit. Quamcumque sequaris hoc loco, fere in idem interpretatio recidet.

394 *Pithoque, Admeteque,* etc. Haec omnia nympharum nomina diversis fontibus praesidentium, aut saltem, pleraque, facta sunt ab Hesiodo aliisque *ἀπὸ τῶν ἐπισυμβαινόντων ταῖς πηγαῖς*, inquit Iohannes Diaconus. Apud eumdem tolerabilem ferme singulorum invenies explicationem.

Eudoreque, Tycheque, atque Amphiro, Ocyroëque,
Et Styx, praestanti cunctas quae vincit honore.
Tethyos Oceanique haec creta e sanguine turba
Maxima gnatarum: non haec tamen omnis origo;
Multae aliae superant natae. tria millia namque
Foecundo e thalamo pedibus citae Oceanines
Prodierunt, late quae vastas undique terras,
Quaeque lacus habitant magnos, pulcherrima proles.
Sunt alii totidem labentes murmure rauco,
Oceano quos Tethys in auras protulit, amnes;
Quorum difficile est percurrere nomina vatem
Mortalem: novere tamen, quae litora circum
Finitimae posuere domos ac moenia gentes.
Interea Solem magnum, Lunamque nitentem,
Auroramque, iubar quae fert mortalibus almum,
Omnibus et pariter superis, Hyperione mixta
Cum rutilo, quondam partu dedit aurea Thia.

---

418 *Interea Solem magnum*, etc. Ex Thia atque Hyperione natus est Sol, Luna, atque Aurora. Porro, nisi fallitur Clericus, Thia est a phoenicio *Thohou*, quod *inanitatem* significat, convenitque τῷ Χάῳ, a quo illam genitam tradiderunt mythologi. Hyperion vero ideo Solis, Lunae, atque Aurorae pater dictus est, quod in summa Chaus parte haec nata esse videantur. Heic autem distinguuntur a Sole et Luna, Apollo ac Diana Latonae Iovisque filii: nam hi exstiterunt posterius, et fortasse quum homines fuissent supremumque obiissent diem, e mundo demigrantes illa astra insedisse crediti sunt.

At Crio Eurybia Astraeum Pallantaque fortem
Protulit, atque omnes, praestans te, Persa, per artes.
Aligeros Aurora Astraeo roscida ventos
Et Zephyrum argesten, Boreanque, Notumque madentem
Concubitu dea mixta deo; tum sidus et ipsum
Luciferum genuit, Caelique ardentia templa

---

422 *At Crio Eurybia* etc. Nihil inveni probabile, quod dicam, cur a Crio atque Eurybia nati dicantur Astraeus, Pallas atque Perses. Nam quod affert Iohan. Diaconus plane insulsum est atque ineptum. Nec multo melius vult Clericus id esse fictum a poëta, ne tribus notissimis deabus, uti mox videbimus, mariti deessent. An haec ad astronomiam referemus? Consule Dupuisii *Commentarium*.

424 *Aligeros Aurora* etc. Astraeo Crii filio nupta Aurora primum Zephyrum, Boream atque Notum edidit, deinde Luciferum aliasque stellas. Sed quum tres praecipuos ventos Hesiodus dicat ab Aurora genitos, mirum sane, cur omiserit quartum, et eum quidem, qui ab iis flat regionibus, ex quibus ipsa oritur? Nam illa vox *ἀργέστην* certe heic *Caurum* non significat, sed est *Zephyri ἐπίθετον*, ut ipsa ratio versus ostendit, qui claudicaret, si particula coniunctiva adderetur. Quid quod et inferius inquit:

Νόσφι νότου βόρεωτε, καὶ ἀργέστεω Ζεφύροιο etc.

et Homerus *Iliad.* lib. xI habet similiter:

Ἀργέσταο Νότοιο βαθείῃ λαίλαπι τύπτων etc.

idest: *Celeris Noti vehemente procella verberans*, quemadmodum scholia explicant et Strabo ipse; quamquam Hesychius *ἀργέστην Νότον* contendat esse ventum a Graecis dictum *λευκονότον*. Luciferum autem atque astra ideo credo dici ab Hesiodo prodiisse ab Aurora, quod ipsa sit Astraei coniux, quasi patris astrorum.

Quae vario pingunt per noctem lumine, stellas.
Styx quoque Pallantis complexu et amore potita
Zelon, formosamque educit in aethera Nicen,
Vimque simul, Roburque, animo praestantia firmo
Germina, non longa a magno queis tecta Tonante.
Non via, non requies ulla est, qua numinis adsint
Haud lateri comites; loca semper proxima servant.
Sic voluit Styx alma die, quo maximus omnes
Sideream in sedem divos regnator Olympi
Exciit; et quicumque deum secum arma tulisset
Titanas contra, nulli sua praemia dixit
Abfore, sed mansura eadem, quae semper habebant
Munera concilio in sacro. prior aetheris axem
Styx adiit gnatis stipata sequentibus, usa
Consilio genitoris. eam dignatus honore

---

429 *Styx quoque Pallantis* etc. Styx est fons in Arcadia, de qua inferius aliquid dicemus. Liberi vero eiusdem fortasse sunt ipsi Arcades, qui Iovi cum patre pugnaturo suppetias tulere, fortissimique viri semper habiti sunt, quod ipsum nominibus iisdem impositis Hesiodus nobis innuere voluit. Hi vero Stygis filii semper adsistunt Iovi, eumque et domi et foris observant; quia forte Thessaliae reges antiquissimi Arcades habere solerent regii corporis stipatores.

436 *Sideream in sedem divos* etc. Heic dii, uti et inferius, ubi agitur de Iovis pugna contra Saturnum, a Titanibus distinguuntur: quamvis enim a Titanibus diis sint geniti, tamen hoc honoris nomine Iupiter ceterique, qui cum eo victores exstiterunt, affecti sunt κατ' ἐξόχην, nam victos despicere, victoribus adulari solemus.

Iupiter eximio est, donisque affecit opimis.
Nam statuit, quidquid iurassent sancta per ipsum
Numina, continuo foret inviolabile cunctis,
Atque suos iussit sibi gnatos semper adesse.
Sic aliis etiam quae dis promiserat ante,
Omnia perfecit. nutu nam cuncta potenti
Vertit agitque pater summa dominatus in arce.
Phoebe autem Coei iucundum ingressa cubile,
Atque deo dea foeta, expletis mensibus anni
Progenuit Latonam hominum pariterque deorum
Dilectam generi, placidamque, et rite faventem,
Semper et in summo ducentem gaudia Olympo.
Insuper Asterien, quam fortis duxit in ampla
Tecta vocans iunxitque tori sibi foedere Perses.

---

444 *Nam statuit, quidquid* etc. Styx quod prima omnium Titanidum Iovi adstiterit cum filiis, retulit sollemne illud ac ab omnibus celebratum munus, ut ratum esset firmumque semper, quidquid per ipsam et Iupiter et alii dii iurassent. Quae vero poena diis fuerit, si peierassent, indicta, alibi videbimus ab Hesiodo luculenter commemoratum.

450 *Phoebe autem Coei* etc. Ergo Phoebe non eadem ac Diana Phoebi soror. Haec Titanis est ac Latonae mater, quae postea Phoebum Dianamque peperit. Heschylus in *Eumenid.* loquens de oraculo Delphico, eidem primum Terram praefuisse docet, deinde Themin, tum aliam tertiam Titanidem filiam Telluris Phoeben. Asteriam item Phoebe genuit, quam Perses sibi coniugem delegit, ex eaque Hecatam suscepit, in cuius laudes excurrit poëta.

Hinc Hecatam Asterie fudit, quam Iupiter unam
Ante alias coluit Saturno natus, et ipsam
Immensique maris fecit terraeque potentem.
Quin et ab astrifero Caelo est ingentibus aucta
Muneribus, divosque inter praecellit honore.
Nunc quoque namque aliquis quum sacra incendit ad aras
More litans patrio, magnam pius invocat alta
Voce Hecaten. sequitur subito ingens gloria, si quem

---

459 *Immensique maris* etc. Nemo est qui nesciat in hac philosophiae luce quantam habeat vim Luna in maris aestum inque alias aëris affectiones. Satis est ea legere, quae praeter alios cl. Toaldus Patavii scripsit in doctissimo *Commentario de astrorum influxu*, et multorum annorum diligentissimis observationibus confirmavit.

462 *Nunc quoque namque aliquis* etc. Hecate nocturnis fere omnibus sacrificiis atque incantationibus praeesse credebatur, eique unoquoque mense, quum Luna esset nova, solebant Graeci coenam apponere, quae coena Hecates vocabatur, et revera pauperum erat coena. Sic scholiastes ad Plutum Aristophanis, ubi de hac re sermo. Nova, inquit, Luna divites vespere coenam quasi sacrificium Hecatae offerentes in compitis ponebant. Pauperes vero veniebant esurientes, et eam comedebant, dicebantque Hecatam comedisse. Adi Clericum ad hunc Hesiodi locum, qui demonstrat ibidem, Hecatam fuisse etiam orientalium populorum numen, praecipuoque honore apud eosdem cultam. Illud vero non omittendum, quod heic poëta animadvertit; hanc nimirum deam omnia omnium retinuisse munera, quae ante Iovis regnum obtinuerat, fuisseque praeterea multis atque magnis auctam ab ipso Iove, quod illi fidissima exstiterit periculosissimo in bello.

Audiit orantem facili dea maxima vultu,
Divitiasque, potis namque est, largitur amicas.
Quotquot enim a Terrae Caelique amplexibus aevum
Accepere sati, et certa data praemia sorte,
Cunctorum laudes capit una; nec abstulit olim
Partem ullam victor per vim Saturnius ipsi
Illorum, quaecumque habuit sub origine prima
Inter Titanas dium genus: omnia semper,
Ceu rerum sors prima tulit, rata dona supersunt.
Nec quia et unigena est, honor hoc minor obtigit olli,
In terraque minor caeloque marique potestas;
Sed multo maior; quando ipsam Iupiter auxit
Omnibus insignem virtutibus, illa valenti

---

474 *Nec quia et unigena* etc. Dictam esse ad Hesiodo Hecatam *Μουνογένην* Clericus ait, quod a Phoenicibus haec dea dicitur *Echatha*, idest *unica*. Id quidem recte; sed velim, rationem reddidisset aliquam, cur eadem quod unica sit aut unigena, dicatur non idcirco minus honoris accepisse? Scholiastes inquit, hanc ipsam ob caussam, quod esset unigena, maximos ei contigisse honores: *οἱ γὰρ μονογενεῖς πλεονέκτουσι πάντοτε*. At male, ut opinor: nam quamvis id ultimum verum sit, si de patria haereditate sermo sit; tamen heic quum de bonis acquisitis seu de honoribus ob merita eiusdem praeclara in Iovem agatur, contrarium omnino videtur significare poëta; nimirum illi nihil obstitisse ad tantos honores adquirendos, quod non fratrum filiorumque, quos nullos habuit, opera, sed sua tantum Iovem iuvisset, tantique hanc eius unius opem esse habitam, ut iis beneficiis, quae multis deberentur, ea fuerit sola affecta. Sic opinor.

Auxilio praesto est, seu quis dat iura vocatis
Gentibus in coetum spectandus, seu quis in arma
Prosilit, horrisono strepuit quum murmure bellum
Excivitque acres in mutua vulnera turmas.
Vincunt, quos mavult dea vincere: semper et adstat
Iudicibus, laterique sedet comes addita regum.
Illa etiam firmat luctantes numine, et ingens
Robur, et inspirat per fortia membra vigorem,
Queis referant dignae victores praemia palmae;
Et laetos hilarent gnati virtute parentes.
Nec non et turmis equitum favet; et regit, undas
Caeruleas qui nave secat, durumque laborem
Exercet votis ipsam pariterque sonantem
Neptunum inclamans. facile dea provida multam
Largitur praedam; facile, si corde voluntas
Sic ferat, ostensam cupidis rapit. illa caprarum
In stabulis oviumque greges armentaque laeta
Cum genito Maïa curat, numerumque vel auget
Multiplici exiguum foetu, minuitve peramplum.
Tantum adeo divos inter se iactat honore
Omnigeno unigena excellens. Saturnius ipsam
Post etiam vitae iuvenum, qui lumine cumque

---

478 *Auxilio praesto est*, etc. Hinc novimus Hecatam praeesse legum latoribus, exercituum ducibus, iudicibus, luctatoribus, equitibus, piscatoribus atque pastoribus; ut vere sit, quod ait Virgilius, caeloque ereboque potens.

499 *Post etiam vitae iuvenum*, etc. Non mirum certe, eamdem Hecaten, quae cum Luna saepe confunditur, esse *κουροτρόφον*, quum sciamus intra novem aut decem lunas

Auroram aspiciunt nati, praefecit alumnam:
Haec nova cura; alias veteri possedit ab aevo.
Nec minus a magno Saturno pressa creavit

---

formari edique in lucem pueros. Hoc quidem munus non habebat sub regibus prioribus Caelo ac Saturno: Iovis est beneficium.

502 *Nec minus a magno* etc. Heic Hesiodus auspicatur maximam illam deorum turbam, qui a Rhea Saturnoque prognati sunt, Vesta nimirum, Ceres, Iuno, Pluto, Neptunus, atque ille fulminator Iupiter omnium rex. Vesta quidem, uti notum est, ignis focorumque praeses habita est, quae summa apud Romanos potissimum religione a Vestalibus servabatur. Huius deae nullum simulacrum fuisse in eius templo Ovidius docet *Fast.* lib. VI.

„ Esse diu stultus Vestae simulacra putavi,
„ Mox didici curvo nulla subesse tholo.
„ Ignis inexstinctus templo celatur in illo,
„ Effigiem nullam Vesta nec ignis habent.

Et Pausanias idem affirmat lib. II: nam de Hermoniensium templo loquens, ingredientibus, inquit, in Vestae, signum quidem est nullum; tantum autem ara, in ipsaque Vestae sagrificant. Sed fuerit ita de his templis; Spanhemius tamen *Dissert. XIII* nummum protulit, in quo templum et signum eminet cum ara, ad quam Vestalis maxima quinque sociis adstantibus pateram tenens libat thus. Aliis etiam in nummis frequens Vestae imago visitur; clarissimumque inter cetera signum illud erat, quod Plinii aetate Romae in hortis Servilianis videbatur, opus Scopae. De eadem dea videsis Lipsium, Giraldumque. De Cerere autem satis ea sint, quae in eiusdem hymno habet Callimachus sic eam alloquens:

„ . . . . . Matura fer omnia campis;
„ Pasce boves, et pasce pecus: da spicea dona,

Dium Rhea genus, Vestam, Cereremque verendam,
Iunonemque aureis evinctam crura cothurnis,
Et fortem, sub terra habitat qui ferrea saevus
Limina, Plutonem, et Neptunum rauca frementem,
Prudentemque Iovem regem illum hominumque deumque,
Cuius ab horrisono tonitru tremit excita tellus.

„ Da messem, pacemque; ille ut metat arva, labore
„ Qui coluit. tu magna fave regina dearum,
„ Et bona sis facilisque mihi etc.

itaque ad eam fere omnis arvorum proventus pertinebat, ideoque a Graecis δημήτηρ dicta quasi δηῶ μήτηρ, cuius historiam, si libet, vide tom. VI *Biblioth. Univ.* a Clerico conscriptam. Quid de Iunone dicemus? Si phoeniciae voces *Hira* aut *Harah*, *aemulam* aut *zelotypam* sonant, egregie Clericus profecto docuit, ab iisdem factum esse graecum nomen Ἥρην; nihil enim Iunone, quemadmodum nobis illam veteres scriptores ac poëtae maxime effinxerunt, rixosum magis esse potest ac zelotypum. Aëris etiam ac serenitatis dea habita est.

505 *Et fortem, sub terra habitat* etc. Hi tres dii sunt illi fratres celeberrimi maximique, qui inter se caeli, maris, atque inferni imperium omne diviserunt, devicto fugatoque patre Saturno. Sed ea mitto, quae de ipsis mythologi vulgares scripta reliquerunt; Clericoque potius assentior docenti, Plutonem quidem fuisse Epiri regem, opibusque maximis abundasse, quod in ea regione locupletissimae erant auri atque argenti fodinae, quas optime dicas mortuorum sedes, quemadmodum ille adolescens e fodinis rediens loquitur apud Plautum in *Capt.* En versus:

„ Vidi ego multa saepe picta, quae Acherunti fierent,
„ Cruciamenta; verum enim vero nulla adaeque est Acheruns,
„ Atque ubi ego fui, in lapicidinis.

Sed genitor natos rabido ferus ore vorabat,

---

et Posidonius apud Strabonem de Turditaniae fodinis lib. III dicit: Certe apud eos subterranea loca non Hades sed Pluton habitat. Quae ego tantum delibavi, vide fusius a Clerico tractata in *Adnot.* ad hunc versum, et praesertim in Cereris historia, quam ipsum conscripsisse iam monui. Sit nobis igitur Epiri Pluto rex. Quid autem fuerit Neptunus, qui mari praeesse credebatur? Non aliud certe, ut consentanea loquamur, nisi rex potentissimus, qui quod vivus maximis classibus longe lateque mare tenuerit, insulasque quamplurimas possederit, mortuus inque deorum numerum relatus mari praeesse ac fluctibus imperitare creditus est, tota fabulis corrupta veteri historia. Idem de Iove dicendum, cuius et sepulcrum in Creta visebatur, et circa Olympum, idest in Thessalia, quo ex Creta cum copiis advenerat, regnum exstitisse censebatur. Hinc illa perpetua Olympi aequivocatio nunc montem, nunc caelum significantis et apud Hesiodum et apud alios poëtas. Itaque mortalis fuit et ipse profecto ille deum pater atque hominum rex, divinosque honores ab hominibus, quos vivus fortasse beneficiis affecerat iuste clementerque imperando, mortuus accepit. Legesis Luciani Dial. *De Iove tragoedo*, si velis ridere.

509 *Sed genitor natos* etc. De hac Saturni immanissima voracitate nihil eorum dicamus oportet, quae Graeci enarratores interpretesque scripserunt: nugis enim plena sunt omnia, et ineptiis referta. Hesiodus mentem satis aperuit suam, poëtica poëta usus loquutione. Quid igitur significare voluit, quum dixit, solitum fuisse devorare filios Saturnum? Nimirum quum timeret, ne ab aliquo filiorum ipse regno privaretur, solitum fuisse, ut quisque illorum nascebatur, eosdem in custodiam dedere, ibique diligentissime asservare, ne profugerent, novasque res in sui perniciem mo-

Ad genua enixae quicumque parentis ab alvo
Venerat egressus, ne Caeli ab origine quisquam
Ortus in aetheria sibi regnum conderet arce.
Namque olim a Terra audierat stellisque micante

---

lirentur. Id vero tyrannorum proprium est, metuere semper, ne quod ipsi in praedecessores ausi sunt perfeceruntque, hoc ipsum in eosdem alii aggrediantur, quemadmodum saepe factum audivimus et apud Turcas et Persas, et apud alias barbaras nationes per caedem ac proditionem solitas in regnum involare. Non nego tamen, si verba attendamus, haec intelligenda esse atque adeo fuisse a superstitiosa antiquitate intellecta perinde ac si revera consuessent devorari a Saturno filii. Hoc enim et illos socios magnae deorum matris Curetas tripudiantes dicit Lucretius significare, quamvis ipse, ut philosophum decebat, et maxime Epicuraeum, rem aliter intelligat. Sic ille eleganter de more lib. II:

„ Heic armata manus (Curetas nomine Graii
„ Quos memorant Phrygios) inter se forte catenas
„ Ludunt, in numerumque exsultant sanguine laeti,
„ Terrificas capitum quatientes numine cristas:
„ Dictaeos referunt Curetas; qui Iovis illum
„ Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
„ Quum pueri circum puerum pernice chorea
„ Armati in numerum pulsarent aeribus aera,
„ Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
„ Aeternumque daret matri sub pectore volnus.

513 *Namque olim a Terra audierat* etc. Oraculum heic a Terra Caeloque suis parentibus dicitur accepisse Saturnus, quod ferebat statuisse nimirum fata, imperium sibi regnumque olim a gnato ereptum iri. Hinc optime animadvertit Clericus cum aliis, licere colligere, iam tum ab antiquissimis temporibus traditum fuisse atque notum, esse nescio



A Caelo, fatale sibi, procumbere victum
Ipsius insidiis gnati. quae tristia fata
Permetuens curam non frustra est passus inanem,
Perdebatque vorans prolem. gemit anxia mater,
Ictaque crudeli tabescit pectora luctu.
At quando iam foeta Iovem proferre parabat,
Tellurem Caelumque suos in vota parentes
Voce vocans supplex oravit, ferret uterque
Auxilium miserae, quaque arte abscondere possit
Gnatum enixa parens, diri patris ulta nefandum
Flagitium contra sua pignora cara, docerent.
Illi continuo natam audivere precantem,
Ac faciles docuere simul, quid fata ferebant
Saturno de rege et magnanimo Iove gnato.
Ergo ubi compleral pariendi tempora, Lyctum

---

quam naturam superiorem illis diis ipsis, qui colebantur, ex cuius immutabili voluntate pendebant, quod et ipsi mortales fuerint, divinaeque providentiae subiecti, quemadmodum ceteri homines. Itaque Fatum, cui tanta vis tribuebatur, summa est atque immutabilis aeterni numinis voluntas. Hanc vero doctrinam Stoïci potissimum suis de Fato disputationibus foede corruperunt.

519 *At quando iam foeta Iovem* etc. Rhea quidem de natis omnibus, sed praecipue de Iove sollicita describitur. Cur ita? quia Iovem sciebat, ut oraculum Telluris ferebat, fatis designari, qui rerum maxime potiretur. Porro notum est antiquissimos tyrannos appellari solitos cognomento Iovis: hinc illi tot Ioves.

528 *Ergo ubi complerat* etc. Parentum consilio, quo filium Iovem secura pareret, Rhea Lyctum seu Littum, ut

Misere in pinguis Cretae sola; divaque partu
Edidit ante Iovem, iussam quam tangeret urbem,
Suscepitque ipsum tellus, primoque sub ortu
Sedula nutrivit. dein mater freta nigranti
Nocte tulit fugiens ad Lycti moenia, et inde

---

mavult scribi Clericus, unam e Cretae urbibus ire iubetur. Sed priusquam illuc advenisset, in itinere natum edidit, quem incolae loci et benigne susceperunt et diligenter servarunt. Hoc enim illud *ἐδέξατο γαῖα*, quod ego verti verbum de verbo referens *suscepitque ipsum tellus* significare videtur.

533 *Nocte tulit fugiens* etc. Cretensesne Lyctum noctu Iovem deportaverint, an ipsa Rhea, non satis liquet ab Hesiodi verbis? Ego matrem id fecisse arbitror: namque ea quae consequuntur hoc factum, ita videntur persuadere. Itaque Iupiter in Creta natus est; quo in loco, plane incertum, sed non longe ab urbe Lycto. Deinde Lyctum fuit asportatus; tum demum ex hac urbe in montem Aegaeum, non Argaeum, qui nullus est in Creta, sed in Cappadocia, cuius et Claudianus et Plinius et alii meminere, delatus est. Vetus Hesiodi scholiastes habet *Αἰγαίῳ ἐν ὄρει*, dicitque sic Cretam dictam olim ab Olenia illa capra Iovis nutrice, quasi caprae montem; atque hinc Iovem etiam dictum esse Aegiochum, quod caprae ubera suxerit, ipsumque montem Idam a nonnullis vocatum fuisse Aegaeum, quod pars Idae fuerit Aegaeus collis. Sed Homerus Iovem vocat Aegiochum non ab Aegaeo monte, sed a propria eiusdem armatura, nimirum aegida. Non defuere tamen, qui Aegaeum non collem, sed campum dixerint. Stephanus enim de urbibus haec habet: Est et Aegaeus campus adnexus Cirrhae, ut apud Hesiodum. Dicitur autem a fluvio Αἴξ, qui descendit a monte ad Pythium, a quo et campus Aegaeus. Quare Graevius

Rursus devectum latebroso condidit antro
In latere Argaei montis, frondentibus umbris
Atque sacra late circum formidine tuto.
Tum demum, ingentem lapidem quum vafra volutis
Fasciolis rite implicuit, dat habere priorum

---

in *Lect. Hesiod.* docet hunc campum late patuisse, ut et Pythium et Gortyna in illo fuerit sita. Sed quid illa Cirrha, quae a Stephano nominatur? Nulla Cirrha est in Creta, sed Cybra urbs; adeoque loco Cirrhae legendum est Cybrae. Plura, si cupis, apud Graevium invenies, sed et haec fortasse ad satietatem, ut Graeci loquuntur.

537 *Tum demum, ingentem lapidem* etc. Heic enimvero risum teneatis amici? nam multo magis id ridiculum, quam si humano capiti cervicem iungat equinam pictor. Rhea pro filio lapidem fasciis involutum Saturno offert devorandum. Quod Clericus explicans dicit, Rheam alienum filium pro suo supposuisse, cumque Saturno obtulisse, ut in carcerem, in quo et alii eiusdem degebant liberi, coniiceretur. Vox enim *Eben* tum in lingua phoenicia, tum in arabica aeque *lapidem* ac *filium* significat: cui voci *Eben* si *dir* adiungas erit *Eben-dir* seu *filius alienus*. Haec quidem scite: Nam Priscianus lib. v haec habet: Abadir deus est. Dicitur et hoc nomine lapis ille, quem Saturnus fertur devorasse pro Iove, quem Graeci *βαίτυλον* vocant. Addit Graevius et Pausania in Phocicis, in templo Delphico inter *ἀναθήματα* fuisse hunc *βαίτυλον*. En eius verba latine reddita: Ascendenti autem ab eo monimento lapis est non magnus, quem et oleo quotidie perfundunt, et lana circum amiciunt rudi. est autem fama, eum esse ipsum lapidem, qui datus fuerit Saturno pro puero, quemque rursus evomuit Saturnus. Quod vero oleo perfundebatur, lanaque hic lapis ornabatur, argumento est, sacrum fuisse habitum.

Saturno divum regi. rapit ille prehensum
Turbidus, et vasto confestim condit in ore:
Demens, qui lapidem pro gnato nescius hausit,
Explevitque famem rabidam; quum filius olli
Abditus invicto superesset robore, quondam
Exitio patri venturus, et arcibus ipso
Deiecto e superis, tantique e culmine honoris,
Imperium solus clari accepturus Olympi.
Nec mora longa: cito creverunt augmine membra
Fortia, et insuetum robur sub pectore regis.
Mensibus hinc certos circumvolventibus annos
Arte dolisque miser Terrae deceptus, et ipsa

Et Lares enim et fores et arae templorum laneis vittis cingebantur; unde illud etiam Propertii:

„ Costum molle date et blandi mihi thuris honores,
„ Terque focum circa laneus orbis eat.

Quin et Plato Homerum caput unguento delibutum lanaque coronatum e sua *Rep.* in aliam civitatem dimittendum putat, ut nimirum simul et illi deorum honor adhibeatur, quod Platoni sacer ac divinus fuerit Homerus, et eius reip. cives nullum detrimentum capiant, quod non recte maximi poëtae fabularum mysteria intellexerint. Hoc iis dictum sit, qui Platonis auctoritate contra poëtas abutuntur.

547 *Nec mora longa: cito* etc. Nescio cur hi novem aut decem versus subdititii Guieto visi sint. Si ob eam fortasse caussam, quod pleni sunt quadam incredibili τερατολογία, parum aut nihil e tota fere hac *Theogonia* retinendum iudicabit. Ego etiam emollivi hanc ipsam crescendi celeritatem, quam non uno factam anno esse dixi, sed mensibus certos circumvolventibus annos.

Vi domitus gnati, latitantem emisit ab alvo
Progeniem; lapidemque, vorax quem ventre supremum
Clauserat, evomuit primum Saturnus ab ore.
Hunc autem terra defixit Iupiter alta
In Pytho sacri sub verticibus Parnassi,
Staret uti facti monumentum ac fama perennis
Vsque hominum generi, visu mirabile monstrum.
Continuo et patruis adamantina vincula solvit
Caeligenis, dura genitor quos compede saevus
Vinxerat. idcirco grati tonitruque dedere
Fulguraque atque ardens fulmen; quae vasta sub imo
Terra sinu, et latebris celabat condita in atris.
Nunc eadem retinet victor Saturnius, hisque
Fretus mortalesque regit superosque beatos.
Iapetus nympham pedibus pulcram oceaninen

---

551 *Vi domitus gnati*, etc. Idest Saturnus Iovis insidiis atque vi compulsus filios, quos in carcere detinebat, liberos emisit.

554 *Hunc autem terra* etc. Vide quod supra diximus de hoc lapide, quem Pausanias narrat fuisse in templo Delphico sanctissime asservatum. Iupiter autem non solum suos e custodia fratres eduxit, sed et patruos e vinculis solvit: quamobrem ab iisdem fulmen accepit supremi quoddam imperii insigne, quod a poëta sub terra latuisse dicitur, nulli deorum nimirum ante quam Iovi datum.

565 *Iapetus nympham* etc. Ad Iapeti generationes gradum facit Hesiodus, ex quo et Clymena ortos docet Atlantem, Menoetium, Prometheum, atque Epimetheum, de quibus in adnotationibus sequentibus dicam. Iapetus autem, si viros eruditos quamplurimos consulas, non alius est, quam

Connubio adiunxit Clymenam, notoque cubili
Exceptus cupidam fovit. gravis illa sub auras
Magnanimum Atlantem fudit, famaque superbum

Iaphetus Noachi filius, cuius posteri longe lateque propagati sunt. Id et Apollodorus *Biblioth.* lib. I et Hyginus fab. CXLII, ubi de Prometheo, innuere videntur. Hi vero quatuor fratres diversas orbis terrarum regiones incoluerunt.

568 *Magnanimum Atlantem fudit* etc. Atlantem, qui et in montem cognominem postea mutatus fertur, verisimile est fuisse conditorem Atlantiarum gentium, quae ultimam Africam incolebant. De his Herodotus lib. VI inquit: Hisce nomen est Atlantibus, qui sine nomine (scilicet singulorum proprio) sunt soli hominum. Plato vero in *Tim.* narrat, auditum a sacerdotibus templi Heliop., exstitisse quondam et insulam maximam Atlantidarum dictam, cuius incolae astronomiae erant peritissimi, lateque ac longe dominabantur. Horum Atlantidarum mentionem etiam fecerunt Baillyus in *Vet. Astron. hist.*, et praecipue in epistolis ad Voltaerium datis, ac Iohannes Rinaldus Carlius vir omni eruditione perpolitus tom. III *Epist. Americanarum* edit. Cremon.. Gallus quidem scriptor Buffonii theoriam sequutus de telluris refrigeratione hanc insulam collocat in Oceano septentrionali a Spitzbergio Americam versus; Carlius vero ab Africa per Atlanticum Oceanum sese Americam usque protendentem conatur ostendere, docetque per hanc insulam, quum parum distaret et ab Africae et ab Americae continentibus, uti etiamnum toto eo tractu sub mari continuata montium vestigia demonstrant, facilem fuisse transitum iis gentibus, quae primae oras Americae occuparunt. Quid vero factum de hac insula? Ingenti quodam terrae motu disiecta prorsus ab hominum conspectu, quemadmodum multae aliae et regiones et insulae, disparuit; ac eo tem-

Ac multo terrore Menoetion, atque Promethei
Vafrum animum variumque, et stulta mente Epimetheum,

---

pore fortasse, quum Oceanus diffractis Gaditanis montibus eoque freto aperto in Mediterraneum se infudit mutata late telluris superficie. Tantum aevi mutare valet longaeva vetustas, inquit Virgilius *Aeneid.* lib. III, ubi Siciliam ab Italia abscissam memorat:

„ . . . . . . quum protinus utraque tellus
„ Vna foret, venit medio vi pontus etc.

Sed quum haec omnia valde incerta sint, ad Atlantem redeamus. Ex ea veteri traditione de eiusdem astronomica peritia hausit, opinor, Virgilius illa, quae lib. I *Aen.* scripsit in Didonis convivio:

„ . . . . . . Cithara crinitus Iopas
„ Personat aurata, docuit quae maximus Atlas.
„ Hic canit errantem lunam solisque labores,
„ Vnde hominum genus, et pecudes, unde imber et ignes:
„ Arcturum, pluviasque hyadas, geminosque triones,
„ Quid tantum Oceano properent se condere soles
„ Hyberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.

Quod autem pertinet ad fabulam, in qua Atlas caelum sustinere dicitur, nisi et id velimus referre ad astrorum scientiam, qua pollebat, ad montem commode referri potest. De illo enim Herodotus lib. VI c. CLXXXIV sic ait: Est angustus et undique rotundus, et, ut fertur, adeo excelsus, ut eius summa iuga nequeant cerni: numquam enim iis desunt nubes neque aestate neque hyeme. Hunc columnam caeli esse dicunt incolae.

569 *Ac multo terrore Menoetion*, etc. Alter Iapeti filius, qui quod fuerit malus, a Iove dicitur ad Erebum detrusus. Nescimus autem ubi habitaverit.

570 *Vafrum animum* etc. De Prometheo et Epimetheo

Qui cladem exortus mortalibus intulit aegris,
Ipse parum cautus prior actae virginis ora
Ab Iove suscipiens. post dira Menoetion acrem
Ob scelera, et multos violenti pectoris ausus
Iupiter infernas Erebi detrusit ad umbras.
At caelum stellis aptum rutilantibus Atlas
Sustinet extremis terrarum in finibus almas
Hesperidas contra, fatorum lege coactus
Et capite et validis molem fulcire lacertis.
Hanc illi sortem nam summi rector Olympi
Imposuit; vafrumque idem per vincla Prometheum

---

iam dixi aliquid in *Oper. et Dieb.*, ubi de Pandora. Quam fuerit vafer Prometheus, ex pluribus eiusdem gestis satis constat: admissio autem Pandorae minime cautum ostendit Epimetheum. Hoc et eorum nomina significant. Nam Prometheus est ἀϖὸ τοῦ προμανθάνειν, quod est *praediscere* aut *praevidere*, et ad prudentiam pertinet: Epimetheus vero ἀϖὸ τοῦ ἐϖιμανθάνειν, id est *in ipsa re discere*, quod est minime prudentis. Hinc factum, ut non viderit, quae mala consequutura erant, si Pandoram suscepisset, id est si sese suasque gentes formosarum mulierum, quibus regiones, quas incolebat, inter mare Caspium et Euxinum, abundant maxime, amori mancipasset. Aeschylus autem de Prometheo haec habet notatu digna:

Βραχεῖ δὲ μύθῳ, πάντα συλλήβδην μάθε.
Πᾶσαι τέχναι βροτοῖσιν ἐκ Προμηθέως.

qui videtur a Iove profugiens sedem in Scythia circa Caucasum fixisse, ibique ex fodinis magnam sibi vim opum comparasse, quod et ab Aeschylo in eius *Tragoed.*, et a Sam. Bocharto in *Phal.* lib. I disces.

Ad mediam fixit religatum membra columnam,
Immisitque aquilam misero, quae desuper alis
Praepetibus delapsa unco vorat improba rostro
Immortale iecur. tantum atra in nocte renascens
Crescit, hians quantum per lucem absumpserat ales.
Sed diram Alcmenae cretus de stirpe volucrem
Perdidit Alcides, crudeli et peste fugata
Iapetianiden solvit, curasque levavit
Non magni sine mente Iovis, quo gloria maior
Thebani late clarescceret Herculis omnem
Per terram, quacumque suos alit ubere foetus.
Sic adeo, nati victus pietate, merenti

---

582 *Ad mediam fixit* etc. Id est Iupiter vetuit, ne umquam posset in patriam seu Graeciam redire, postquam ab eo aufugerat Prometheus. Quid vero illud iecur immortale, quod quantum ab aquila vorabatur interdiu, tantum noctu sponte enatum crescebat? Iecur Phoenicibus dicitur *Chabed*, et efferri etiam potest *Chabod*, quae vox non raro *divitias* significat, inquit Clericus. Itaque quum a Prometheo fodinae exhauriri non possent, sed quantum metalli suam in rem educebat, tantum continuo renasci uberrimis illis videretur in venis, iecur eiusdem seu divitias quotidie augeri fictum est a fabulis.

587 *Sed diram Alcmenae* etc. A graecis poëtis omnia fere miranda, quae usquam terrarum contigerant, graeco Herculi tribuuntur, quum notissimum est plures exstitisse Hercules. Thebanus vero, de quo heic Hesiodus, aetate Promethei multo posterior est. An forte hic Hercules, quisquis fuerit, vel Tyrius mercator, vel quis alius, e Caucasi regione in Graeciam Prometheum reduxit, eique Iovis amicitiam conciliavit? Id non absurdum omnino videtur.

Iupiter iratus cladem poenamque remisit,
Quod secum vano quondam contenderat astu.
Namque animis quando sese discordibus inter
Certavere homines ac dî sub moenibus altis
Meconae, Iapeti proles ingentia tauri
Tergora proposuit, quo falleret arte Tonantem.
Scilicet involvensque artus et viscera et omnem
Vna adipis vim parte bovino ventre superne
Texerat, inque alia tantum nuda ossa reliquit
Albenti arvina condens furtivus ab arte.
Quod cernens divum est fatus pater atque hominum rex:
Cunctorum Iapetionide clarissime regum,
Vt catus obliquo partes discrimine didis!
Sic dixit tacite carpens Saturnius ipsum,
Consiliumque sciens. cui vafra mente Prometheus
Subridens, pariterque sui non immemor astus;
Iupiter o divum, quotquot sunt, maxime, dixit,
Elige, utram partem tibi fert in corde voluntas.
Haec ait ille dolos molitus. qui tamen omnes
In tacito novit latitantes pectore fraudes,
Hanc quoque cognovit, iam tunc et damna paravit

---

597 *Certavere homines ac dî* etc. Saturni nempe filii eorumque socii dii appellantur heic; homines vero sunt incolae Peloponnesi, quos forte suam in potestatem redigere volebat Iupiter. Nam Mecona est Sicyon antiquissima Peloponnesi urbs, cuius primum regem Aegialeum Eusebius facit aequalem Nino et Abrahamo. Vide et Strabonem lib. VIII.

614 *Hanc quoque cognovit,* etc. In ea heic opinione Clericus est, ut putet reapse Iovem fuisse deceptum a Pro-

Aspera mortali generi, quae tempore certo
Volvuntur ventura. ergo albam denique utrisque
Substulit arvinam manibus, tegumenque removit.
Heic vero exarsit furiata mente, nec ira
Iupiter abstinuit, quum tantum nuda latere
Ossa intus tauri sinuato in tergore vidit;
Tempore et ex illo iussit mortalia secla
Candida odoratas dis ossa adolere per aras.
Tum gravibus stimulis actus sic voce Prometheum
Increpuit: Nequidquam animis elate superbis,
Atque sagax alios supra, necdum immemor artis
Ipse tuae potuisti ausis imponere finem?

---

metheo, quamvis id Hesiodus non sit ausus dicere invidiam civium pertimescens, quasi impius foret. Ego vero, si quid intelligo, omnino diversum iudico. Manifeste enim videtur mihi Hesiodus declarare, Prometheum quidem et tentasse Iovem decipere, et maxima id calliditate esse aggressum; sed Iovem, qui occulta etiam norat, fraudem agnovisse, quamvis ut reum criminis manifestius teneret, rem dissimulasset. At enim, inquies cum Clerico, nisi fuisset Iupiter deceptus, caussam non habuisset, cur usque adeo vehementer indignaretur Prometheo? Habuit enim vero maximam: nam qui certam habet voluntatem patrandi criminis, aeque peccat ac qui voto potitus est. Ceterum id videtur factum in aliquo convivio post diremptum iam certamen.

622 *Candida odoratas* etc. Nescio quam bene ex hoc Promethei facto videtur Hesiodus ossium adolendorum diis invectam repetere consuetudinem, quum prius id non fieret, sed adeps tantum aut viscerum pars aliqua combureretur. An haec *Holocautomatum* institutio? Alii quoque ita putaverunt.

Haec ubi dicta, memor tentatae fraudis, et ira
Percitus eripuit miseris mortalibus ignem.
Nec caruere tamen: nam regem subdola proles
Iapeti decepit, et alta a lampade lucis
Late ardescentis, ferula furatus in ampla,

---

628 *Percitus eripuit* etc. Non id intelligendum quasi Iupiter hominibus universis usum ignis vetuerit, sed vel Peloponnesiis tantum, vel aliis populis, qui rebellaverant: ne scilicet in officinis ferrariis alia arma excuderent, quibus in Iovem uterentur.

630 *Iapeti decepit*, etc. Quid hoc? An ustoriorum speculorum usu vim magnam solis primus docuit colligere Prometheus, eorumque ope metalla colliquefacere? An illa verba, quibus dicit Hesiodus, eumdem solis flammam in ferula esse furatum, significant id effectum esse valida lignorum confricatione, iuxta illud Lucretii lib. v:

„ Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans
„ Aestuat in ramos incumbens arboris arbor,
„ Exprimitur validis extritus viribus ignis,
„ Et micat interdum flammaï fervidus ardor,
„ Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur:
„ Quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem.

Quidquid sit, Iove invito Prometheus ferrarias officinas iterum videtur instituisse, ut bene animadvertit Clericus. Ad sinistram enim manum Caucasi, ubi vinctus detinebatur Prometheus, id est ad Ponti Euxini orientalia littora, ab Aeschylo dicuntur fuisse Σιδηροτέκτονες Χάλυβες, quos ferri tractandi peritissimos novimus, et de quibus Tzetzes *Chil. x* ait: Chalybes sunt gens proxima Trapezunti; hi dicuntur ferrum invenisse: aes etiam vocant et Chalybon et aes, quasi hoc quoque sit inventum Chalybum. Vnde et Virgilius *Georg.* lib. I canit:

Ignis inexstinctam vim detulit. ima momordit
Corda Iovis subito gravis ira, arsitque furore,
Rursus ubi in terris ignem splendescere vidit,
Exitiumque hominum generi crudele paravit.
Nam monitu ipsius praeclara Mulciber arte
E limo effinxit rubicundae virginis ora,
Et circum niveis ornavit vestibus artus
Glauca Minerva addens capiti redimicula pulcro
Daedalea ac visu miranda; hinc flore recenti
Ipsa suis manibus texens halantia serta
Imposuit, rutilamque ex auro in fronte coronam
Quam bonus Ignipotens, sperans fore dulce Tonanti,
Extuderat, variaque omnem caelaverat arte.

„ India mittit ebur, molles sua thura Sabaei,
„ At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
„ Castorea, Heliadum palmas Epirus equarum.

636 *Nam monitu ipsius* etc. Pandorae creationem multis exponit v. 60 et seq. in *Oper. et Dieb.* Hesiodus, ubi ego reiecta Heinsii opinione de Fortuna, dixi cum Clerico aliisque sub Pandorae allegoria mollitiem turpium feminarum intelligi, qua factum est, ut Colchidis populi finitimaeque gentes libidini effroenatae in primis se dederent. Notum illud Croesi consilium datum Cyro postulanti, qua arte Lydi in potestate retinerentur: Edicito, inquit, illis, ut liberos citharam pulsare, psallere, et cauponari doceant; et brevi eos, o rex, videbis mulieres pro viris factos. Ita Herodotus lib. I iterumque subiungit: Τοῦ Λυδῶν δήμου ἁι θυγατέρες ἐπορνένοντο πᾶσαι, συλλέγουσαι σφίσι φερνάς. Vide et Iustinum de eadem re lib. I. Quidni idem contigerit Epimetheo eiusque popularibus?

Plurima namque inerant, salso quae gurgite monstra
Pontus alit, gremioque fovet vastissima tellus.
Stabat rarus honor formae, vivosque renidens
Gratia miranda referebat imagine vultus.
Hinc ubi suave malum pro caro munere fecit,
Convenere homines quo multi dique, puellam
Caeruleae cultu gaudentem Palladis egit
In medium. subito stupor altus hiantia cepit
Spectantum late ora, dolum ut videre paratum,
Vitandumque hominum nulli. nam semine ab illo
Turba puellarum primum est exorta, genusque
Femineum venit, labes et saeva malorum
Caussa viris; multo gens luxu dedita, et arctam
Pauperiem fugiens, nullique assueta labori.
Quales quum resident ignava per otia fuci,
Mellaque depascunt, primo quae lucis ab ortu
Vsque sub occasum cellis fragrantia stipant
Florigerae volucres: varios illae undique saltus

---

656 *Femineum venit*, etc. Non haec dicta, quasi ante non exstiterint mulieres; sed quod nondum solitae fuerint honestatem pudoremque turpiter proiicere. Quam vero sint hominibus vitanda huiusmodi lenocinia, satis, ut arbitror, legenti hanc Hesiodi descriptionem patebit. Optima est et ex ipsa rerum natura desumpta illa fucorum similitudo, rapacium nimirum animalium aeque ac inertium, uti videre est et apud Virgilium lib. IV *Georg.* Hinc ad commoda et incommoda quae e matrimonio proveniunt, digreditur poëta. Vide in rem similem duo epigrammata, alterum Posidippi vel Cratetis, alterum Metrodori in *Anthologia*.

Circum obeunt lustrantque; alieno hi parta labore
Dona vorant, segnesque expleri nectare gaudent.
Tale hoc femineum genus est. crudelia damna
Altitonans dedit una, et luctu infecit acerbo.
Quin aliam cladem statuit mortalibus idem
Insidians. nam qui fugiens uxoria vincla,
Exosus sociamque tori, taedasque iugales,
Eligit invisa sine coniuge vivere; triste
Si quando attigerit senium, caret ille, senectam
Quae foveat, gnatisque caret, queis dives habendas
Linquat opes. didunt inter se cuncta ferentes
Vix noti, aut longa consanguinitate propinqui.
At cui legitimi fato sors obtigit aequa
Coniugii, placitoque uxor stat casta cubili
Recta sciens, gravibus pensat solatia curis
Alternans bona iuncta malis. miser ille sed omnes
Ante alios, nocuo fuerit cui sanguine coniux
Parta viro. assiduis moeroribus aestuat ictus,
Atque imo sub corde habet immedicabile vulnus.
Nulli adeo fraudare Iovem licet. ipse Prometheus
Haud impune ausus subita grave sensit ab ira
Supplicium, frustraque vafer sua vincla nequivit
Effugere, innexum nodis quae saeva coërcent.
  Sic quoque, ubi contra Briareum commotus ad iram
Est genitor Cottumque Gygenque, hos compede vinxit

686 *Sic quoque, ubi contra* etc. Iam supra tres hosce Titanes vidimus a patre Caelo coniectos in carcerem. Heic vero liberantur a Iove atque ab aliis Saturni filiis, monitu Telluris, quae eosdem praedixerat magno usui Iovi futuros.

Miratus roburque immane habitumque lacertosque
Ingentes. clausos latae intra viscera terrae
Abdidit, obscura degunt ubi nocte sepulti
Avia ad extremi longe confinia mundi,
Assiduoque dolent confixi pectora luctu.
Iupiter aetheria sedenim miseratus ab arce
Dîque alii, genuit quos olim Rhea voraci
Saturno bene compta, illos in lumina solis
Eduxere bonae precibus Telluris adacti.
Namque ipsa edocuit fatorum arcana retexens,
Vt decus auxilio illorum et victricibus usi
Viribus eximium e bello, palmamque referrent.
Discordi siquidem perculsi corda labore

---

700 *Discordi siquidem* etc. Duplex bellum Iovis cum Titanibus videtur distinguere Lactantius lib. I c. XIV *Inst. Div.* dicit enim: Iovem adultum, quum audivisset patrem atque matrem custodiis circumseptos atque in vincula coniectos, venisse cum magna Cretensium multitudine, Titanumque ac filios eius pugnando vicisse, parentes vinculis exemisse patri regnum reddidisse; atque in Cretam remeasse. Post haec deinde Saturno datam sortem, ut caveret, ne eum filius e regno expelleret: illum elevandae sortis atque effugiendi periculi gratia, insidiatum Iovi, ut eum necaret. Iovem, cognitis insidiis, regnum sibi denuo vindicasse ac fugasse Saturnum, ex Thessalia nimirum. Hactenus Lactantius. Itaque primum bellum Iovis fuit pro Saturno ac Rhea contra Titanes; alterum pro se contra eosdem Titanes Saturnumque eorum regem: utrumque videtur gestum in Thessalia, quae erat victoris praemium. De primo bello nihil Hesiodus; de secundo longam heic atque elegantem subiicit descriptionem.

Pugnavere diu se inter certamine magno
Titanesque, dei ac Saturno rege creati.
Insedere Otryn Titanes; Olympia divi
Culmina, dives opum Saturni et pulcra comantis
Progenies Rheae. sic annos ordine denos
Alterni valido certarunt robore et aestu
Ancipiti ardentes. non his fuga nota, nec illis;
In longum aequali ducebant praelia Marte.
Sed quando ambrosiamque et dulces nectaris haustus,
Queis Superi vescuntur, eis Saturnius auctor
Praebuit, extemplo cunctis vis addita maior,
Atque animis arsere omnes. caelestibus auctos
Tum dapibus tali est affatus Iupiter ore.
    O Terrae ac vasti clarissima germina Caeli
Quae me cumque animus fari iubet, auribus aequis
Accipite. obnixi, Saturno quot sumus orti,
Titanesque, imus iamdudum in mutua contra
Vulnera praeclara pro laude utrique ruentes
Imperioque. manus invictae et maxima vobis
Vis est: nunc animos, nunc vestras promite vires
Titanas contra, memores et foederis icti
Dulcis amicitiae; quondam et quae dura tulistis,

---

714 *O Terrae ac vasti* etc. Iovis alloquutio ad Titanas et praecipue ad Briareum Cottum atque Gygem, quos ad defectionem vocat, ut relictis nimirum Saturni partibus memores beneficiorum, quae a sese acceperant, hoc in bello sibi opitulentur. Nec Iovem fefellit spes: Cottus pro aliis etiam respondet, suamque fratrumque operam Iovi ultro pollicetur.

Tristibus exuti vinclis, ac noctis opacae
E latebris, per nos, revocati in luminis oras.
Dixerat. illi autem Cottus sic impiger infit:
Nulli ignota refers, o maxime: scimus et ipsi
Quod praestas animisque atque acri robore mentis,
Et nostrae fueris cladis depulsor acerbae.
Consilio nos, magne, tuo vinclisque soluti
Fortibus, et nigra mersi in caligine, ab umbris
Venimus ad lucem, dura olim infandaque passi.
Quare adeo certum est nunc omne opponere robur
Vimque animi, contra Titanas in arma furentes,
Pro vestro imperio nobis pugnantibus usque
Marte gravi. sic ille: et divi dicta probarunt,
Laudaruntque hilares. ergo furor acrior omnes
Quam prius incendit, pugnamque lacessere visae

---

737 *Quam prius incendit*, etc. Iupiter sibi adiuncto hoc auxilio acrior cum Titanibus Saturnoque congreditur, ipse ex Olympo profectus, Saturnus ex Othry, qui Phthiotidem a meridie claudit. Id placuit animadvertere, ne quis incautius crederet, copias Iovis in ipso Olympo directas pugnasse cum Titanibus longe dissitis, in monte Othry nimirum; quemadmodum videtur Hesiodus voluisse nobis persuadere, ut maior credo appareret miraculi vis. Huius autem pugnae descriptio plane Homerica est, plena scilicet evidentiae ac dignitatis, quamvis desint illi montes superimpositi a Titanibus, quos et Homerus in *Odyssea*, et Virgilius in *Georgicis*, et alii passim commemorant poëtae, irridetque salse Lucianus sub Mercurii persona Charontem alloquentis in dialogo, qui inscribitur Χάρων, ἢ Ἐπισκοποῦντες.

Illa luce deae dique omnes; aspera monstra
Terrigenum, et nati Saturno, quotquot et atro
Iupiter ex Erebo dias emisit in auras,
Robustique acresque, infracto ac robore firmi.
Centum horum ex humeris surgebant brachia, et alte
Stabant quinquaginta hirto capita ardua collo
Membra super durata. hi tum Titantibus acri
Oppositi in pugna validis torquere lacertis
Grandia certabant avulsi fragmina montis.
Hinc autem horrisona Titanes voce phalangas
Firmabant alacres, manibusque et pectore freti
Durum Martis opus multa virtute ciebant
Vtrique. horrendum sonuere ingentia ponti
Aequora, congemuit tellus, caelumque superne;
Atque pedum crebro pulsu, telisque furentum
Impete Caelicolum tremuere cacumina Olympi
Sedibus ex imis convulsa. immissus in ipsa
Pervenitque tremor nigrantia tartara, et ingens
A pedibus, iactisque una fragor excitus armis,
Omniaque indomito penitus concussa tumultu.
Sic illi alternos geminabant ictibus ictus
Sese inter congressi, et sidera ad aurea clamor
Ibat utrinque hortantum, et utrinque in bella ruentum.
Nec sibi iam genitus Saturno temperat; ira

---

761 *Nec sibi iam genitus* etc. Quid hac Iovis pugnantis descriptione magis poëticum atque illustrius excogitari fingique potest? Terribilis sane est et Hector ad naves Graecorum pugnans, et Achilles ad Xanthum Troianos persequens; sed haec heroum pugna. Iove autem crebro fulmi-

Suscitat incendens animos, atque exerit omnem
Virtutem: summi gradiens per culmina Olympi
Saevit, et ardenti iaculatur fulgura dextra
Igneus. ingenti tonitru delapsa ruebant
Fulmina crebra, sacras circum volventia flammas,
Terrifica sub nocte. solum late aestuat omne
Igne sonans, crepitatque exustis ardua sylvis
Tecta avium flammata, atque imae viscera terrae,
Oceanusque fluens, et vasti caerula Nerei.
Omnia fervescunt: calidus vapor undique torret
Titanas, rutiloque involvit turbine flamma
Aëra diffusum: radiantia fulgura visum
Eripiunt, oculosque hebetant commixta trisulcis
Fulminibus; vis nulla valet se opponere contra.
Corripuere Chaos iamque ipsum incendia; et ignem

---

nante, caelum, tellus, maria, omnia denique concuti ac conflagrare videntur. Nae illi, qui ad poësim se dedunt, male sibi consulunt, si negligant exemplaria graeca *nocturna versare manu, versare diurna*.

776 *Corripuere Chaos* etc. Hesiodus quidem heic habet Chaos, non Erebum aut Aërem: quare aut ubique Graevius Chaos inferorum sedes vocet, et Clericus aëris immensitatem, aut Chaos patiantur esse Chaos. Scio quidem hoc nomen apud Ovidium *Metamorph.*.x inferos significare, ubi Orpheus dicit:

„ . . . per ego haec te plena timoris,
„ Per Chaos hoc ingens, vastique silentia regni;

et apud Aristophanem in *Avibus*:

Διὰ τῆς πόλεως τῆς ἀλλοτρίας, καὶ τοῦ Χάους
Τῶν μηρίων τὴν κνίσσαν ὀυ διαφορήσετε.

Coram oculis lustrans cernebat, et auribus altum
Hauribat strepitum, ceu si subsideret imam
Desuper in Terram furibundo pondere Caelus.
Vsque adeo magno reboabant cuncta fragore
Oppressa Tellure, illoque premente ruinam
Horrificam ex alto graviter. tanto arma tumultu
Dì super affusi iactabant; ventus et una
Pulveream nubem tollens per inane ferebat,
Fulguraque, et rapidi resonantem fulminis ignem,
Tela Iovis magni; fremituque implebat utrasque
In medio pugnantum acies. fragor undique et horror
Apparet, multo et virtus spectata labore.
Inclinata autem pugna est, licet aspera primum
Praelia connixi violento robore obirent,
Inque vicem adversi ruerent. ante agmina primi
Certantes bellum instaurant, et in arma feruntur
Cottusque, Briareusque, Gygesque immanis, ad auras
Tercentum magno iaculantes pondere rupes
Ingentes totidem manibus, iaculisque frequentes
Vmbrantes subter Titanas. quos ubi victos

---

vocem illam τοῦ Χάους a Suida aliisque magistris intelligi de aëre. Id ego non impugno, immo vehementer probo. Quum tamen ab Hesiodo saepissime distinguatur Chaos et ab inferis et ab aëre, in mea versione eamdem retinendam vocem et proprie intelligendam iudico, ut ipsum Chaos incendio correptum quasi quaedam animata persona et ignem coram aspiciat, et strepitum audiat, quemadmodum si Tellus iterum cum Caelo commisceretur, quod non sine ingenti quodam fragore fieri consuesse credibile est.

Concidere, ac passim stratos videre, sub imum
Deiecere solum, vinclisque et compede nexos
Tantum infra terram subter traxere superbos,
Quantum alto caeli tellus a vertice distat.
Par etenim spatium est a terra in tartara: noctes
Acta novem totidemque dies de culmine caeli
Luce gravis decima in terram descenderet incus
Ferrea. rursum eadem totidem noctesque diesque
E terra fugiens tenebrosa in tartara subter,
Lapsa die incideret decimo. stant moenia ferro
E solido circum, triplicique affusa meatu
Horrida nox umbris nigrantibus ora coërcet;
Supra terra sedet, vastumque exaestuat aequor.
  Illic obscura pressum caligine degit
Titanum genus aere, Iovis supera alta regentis
Consilio, ingentisque colit trans ultima terrae
Informi loca senta situ. non exitus ulla

---

797 *Concidere ac passim* etc. Titanes a diis victi in carcerem caliginosum coniiciuntur, cuius ut horrorem squaloremque magnum esse doceat poëta, dicit eos tantum sub terra fuisse demersos, quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum, ut verbis utar Virgilii. Vnde etiam constat, Hesiodum tartara non intra terram, sed infra constituere in quibusdam tenebricosis spatiis, quorum opinor ne ipse quidem claram sibi effinxerat notionem, fortasse propter ignorantiam formae Telluris eiusdemque constitutionis, quam et hemisphaericam, ut videtur, non sphaericam arbitrabatur, et non circumquaque septam ab aëre ac a sole illustratam, sed basi quadam veluti insistentem tartaro atque Chao, lucique imperviam.

Parte datur: claudit ferratis undique portis
Neptunus, caeloque educta utrinque minantur
Molibus impositis adamantina moenia. Cottus
Stat propior, Briareusque, Gygesque; et limina servant
Insomnes aerata, Iovis custodia fida.
Heic terra et pontus caelumque et tartarus ipse

---

819 *Heic terra et pontus* etc. Mens poëtae est his verbis significare, hinc nimirum omnia incipere, ac pariter huc desinere, ut vox *πήγη initium* rerum exprimat, *πείρατα finem*, quod ipsum in versione satis me explicuisse puto, quamvis obscurius ab Hesiodo dictum sit. Hinc forte illa Senecae in *Hercule furente:*

„ Sterilis profundi vastitas squalet soli,
„ Et foeda tellus torpet aeterno situ,
„ Rerumque moestus finis et mundi ultima:
„ Immotus aër horret, et pigra sedet
„ Nox atra mundo.

queis adde illa Iovis ad Iunonem *Iliad.* lib. VIII:

„ . . . . non si digressa beatis
„ Aedibus e divum, terraeque extrema capessas,
„ Et maris, Iapetusque et Saturnus iacet atro
„ Exul ubi longe in barathro; nec luce fruuntur
„ Laetifica solis supera in regione vagantis,
„ Nec dulci ventorum anima. nam tartarus ambit
„ Inclusos tenebris, alta et caligine pressos.

unde et Virgilius *Aeneid.* lib. VI ait:

„ . . . . tum tartarus ipse
„ Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras,
„ Quantus ad aetherium etc.

Ex quibus omnibus patet, quod iam superius monui, et Hesiodum et alios veteres poëtas in ea fuisse opinione, ut unam tantum mundi partem seu hemisphaerium quod nos

Accipiunt fontes, extremaque litora signant
Squalida, dis invisa. ingens patet intus hiatus,
Nec quisquam subiens toto contingeret anno
Suppositi pedibus sola fundi huc actus et illuc
Vortice praecipiti, ac violento turbinis aestu:
Monstrum horrendum, ipsis visu admirabile divis
Scilicet est. noctis sedes obscura soporae
Caligatque umbris nimbisque furentibus horret;
Quam propter curvo Iapeti stans vertice gnatus
Suffulcit manibus caelum subnixus. ibi ipsa

---

incolimus, putarent a sole illuminari sideribusque distingui: quae vero sub hoc hemisphaerio iacent, aeterna caligine, atque nocte horrescere.

828 *Quam propter curvo* etc. Supra hoc immane barathrum, in quo degebant Titanes, noctis sedem constituere videtur poëta. Iuxta hanc Atlantem caelum sustinentem, quod in ultimo occidente situs fuerit, a quo nox exire credebatur, quemadmodum dies ab oriente. Haec sane minime sibi consentiunt: nam ut Atlas caelum possit aliquomodo sustinere, non est collocandus sub terra, sed potius supra. Quare mihi Guieti opinio probabilis admodum videtur existimantis hos versus incipientes *Καὶ νυκτὸς ἐρεμνῆς* usque ad *ἀστέμφεως* esse supposititios, aut saltem e suo loco huc temere illatos. Melius enim sententia constaret, si ita diceretur:

„ Monstrum horrendum, ipsis visu admirabile divis
„ Scilicet est: nox atque dies ubi limina portae
„ Aerea linquentes propius se voce salutant.
„ Haec redit ingrediens sedem etc.

relictis illis quatuor intermediis versiculis, qui in versione habentur.

Alterna Nox atque Dies vice limina portae
Aerea linquentes propius se voce salutant.
Haec redit ingrediens sedem, fugit ille vicissim
Egrediens: numquam cohibet domus intus utrumque;
Sed dum alti longe caeli per inania fertur
Altera tellurem supra; manet alter, et illa
Dum veniat, clausus latebrosa in sede moratur
Opperiens, quae certa viam sibi nunciet, horam.
Atque hic purpureum lustrans longe omnia lumen
Sufficit; illa autem nigra caligine tecta
In manibus Mortis fratrem fert noxia Somnum.

Nec procul hinc gemini posuere cubilia gnati
Obscurae Noctis Lethumque Soporque, graves dì,
Quos numquam aut caelum scandens, aut aethere ab alto
Descendens radiis sol aureus aspicit. alter
Per terramque levis perque arva sonantia ponti
Funditur, atque hominum generi placabilis errat:
Alterius mens dira, et ferrea pectore saevo
Corda gerit. tenet usque manu, quem forte priorem
Arripuit, divis etiam immortalibus hostis.
Heic quoque et inferni surgunt resonantia regis

---

841 *Nec procul hinc gemini* etc. Lethum et Sopor fratres sunt, ac Noctis filii, dicunturque a poëta habitare iuxta sedem noctis eiusdem ac diei, et numquam a sole illustrari, quasi aut illuc non descendat sol, aut in ea regione lucem amittat suam fons ipse lucis.

850 *Heic quoque et inferni* etc. Vide haec quam magnifico verborum apparatu lib. vI *Aen.* a Virgilio efferuntur. Omnibus autem notum est, Plutonem e Sicilia rapuisse

Moenia, Plutonis domus ardua, terribilisque
Persephones: horrens custos canis excubat atris
Pro foribus, fraudemque malus meditatur acerbam.
Nam pariter caudaque, ambabus et auribus ultro
Blandus adulatur venientibus, et vetat idem
Retro ferre pedes. tum si quem vidit abire,
Rursus et inviso regis discedere tecto,
Corripit, et captum vorat horridus ore cruento.
Iuxta autem Superis metuenda invisaque magni

---

filiam Cereris Proserpinam, quae *ἐπαίνα* dicitur sollemni apud Graecos adiuncto, quod sacrum ac terribile habebatur. Hinc Plato in *Cratylo* eo prolato: Πολλοὶ, inquit, *καὶ τοῦτο φοβοῦνται τὸ ὄνομα*. Legesis apud Dupuisium tom. IV, Delaland. *Astron.* qua ratione tota Proserpinae fabula in Astronomia locum habeat.

859 *Iuxta autem Superis* etc. Styx Oceani filia dicitur, quemadmodum et ceteri fontes. Quae vero heic de eadem praedicantur miracula partim vera sunt, partim ficta a poëta. Si Pausaniam audias, ille in Arcadicis facta mentione oppidi, cui *Nonacri* nomen erat, subiungit: Non procul ab his ruderibus est alta montis crepido; non aliam vidi quae in tantam altitudinem attollatur; aqua vero secundum praeruptam stillat rupem. Vocant Graeci hanc aquam *Stygis*. Esse autem Stygem, Hesiodus in *Theogonia* cecinit. Haec Pausanias. Quare recte noster poeta dicit:

„ . . . . . . claras sola incolit aedes
„ Intectas saxis ingentibus undique, et actis
„ Argento e solido caeli ad convexa columnis.

Quod vero in inferis collocatur, ex eo opinor est, quia, ut idem docet Pausanias, lethalis erat haec aqua et hominibus et omnibus aliis animalibus. Fortasse et opinio in-

Volvitur Oceani refluo Styx gurgite creta,
Maxima gnatarum. claras sola incolit aedes,
Intectas saxis ingentibus undique, et actis
Argento e solido caeli ad convexa columnis.
Non illuc celeri lapsu Thaumantias Iris

---

valuerat, si quis cuiuspiam sceleris accusaretur coactusque esset innocens illam aquam degustare, id eum potuisse sine noxa facere: cuius superstitionis plurima habemus exempla, quae innocentiae iudicia seu experimenta dicebantur; erantque potius dicenda stultitiae ac ignorantiae singularis indicia barbarorum, quae praecesserunt, saeculorum; quum hisce saepe rebus innocentia opprimeretur, triumpharet scelus. Simile quiddam de Palicorum fonte narrat Macrobius lib. v *Saturn.*, et alii Scriptores.

864 *Non illuc celeri lapsu* etc. Iris Iovis nuncia, quum opus erat, ad hunc fontem descendebat, inque aureo quodam vase haustam in caelum aquam deferebat. Quisquis deorum, de aliquo crimine accusatus, addito iureiurando, factaque libatione, si reus erat, in subitum incidebat lethargum, ac sine voce membrorumque usu per annum integrum perseverabat. Annua poena hac expleta per novem alios annos a concilio mensaque deorum arcebatur exul. Post anno tandem decimo, omnibus rite persolutis, revocabatur, honoresque amissos recuperabat. Ceterum huius fontis eam solam aquae partem fuisse exitialem, quae e rupe prosiliebat, non quae subtus defluebat, animadverte diligenter, et simul admirare poëtae levitatem, nisi forte voluerit ipse significare, fatalem esse in ipsa eruptione hanc aquam, deinde omnem, decursu per campos, virtutem amittere. Scimus enim complures aquas, quae salubres habentur, si alio transferantur, aut omnino, aut saltem partim salubritatem deperdere. Pausanias autem ideo Hesiodum id scripsisse dicit; quod ipse viderit aquam Stygis stillantem.

Descendit per dorsa maris, ni saeva deorum
Concilium vario invadit discordia motu.
Tum si quis Superum mentitur, Iupiter Irim
Continuo iubet ire, haustas e gurgite lymphas,
Quae gelida de rupe cadunt, ut portet in auro,
Iusiurandum ingens. multum de flumine sacro
Per noctem obscuram sub terrae viscera fundit
Oceani cornu: decima est pars noxia fato.
Namque novem partes aliae camposque feruntur
Et terram innocuae circum, pelagoque residunt
Vorticibus claris argento. haec emicat una
Rupe ex undanti saliens, dis maxima clades.
Quippe ipsam libans, periurus fallere quisquis
Caelicolum haud dubitat, vitae iacet immemor annum
Integrum, ambrosiisque epulis, et nectaris haustu
Haud fruitur, sed strata fovet sine voce, sine ullo
Membrorum exanimis motu, premiturque veterno.
Postquam autem hoc functus totum crudele per annum
Supplicium expendit, sequitur gravis ira nocentem,
Atque alia ex alia poena excipit. exsul et errans
Concilio longe divorum arcetur ab almo,
Non dapibus nonum non mensa admissus in annum.
Tum decimo tandem, culpa iam rite piata,
Laetus dona capit divum, coetusque frequentat.
Tantum adeo stygiis statuerunt numen in undis
Dî superi, Ogygio resonant quae fonte perennes,

---

890 *Dî superi*, *Ogygio* etc. Ogygio: hoc adiunctum Graeci interpretantur *antiquum*, quasi ab Ogyge nescio quo rege antiquissimo, cuius temporibus maxima terrarum inun-

Scrupea labentes per saxa. heic ultima origo
Fontibus, heic fines caelumque, et pontus, et horrens
Tartarus, et tellus habet atra: extremaque rerum
Meta, situ loca plena, ipsique invisa Tonanti.
Terribiles portae squalent, atque aerea surgunt
Limina, quae penitus fixis radicibus haerent
Sponte enata sua. parte anteriore repostum
Titanum genus acre a dîs procul omnibus atra
Claustra tenent, Chaos ultra alta caligine septum.
Quos prope, in oceani fundo, Iovis arma sequuti
Ima colunt Cottusque Gygesque. immania namque

---

datio perniciesque acciderit. Graevius autem ex Hesychio *antiquum* item et *magnum*, esseque vult non aquae ἐπίθετον, sed iurisiurandi, quod maximum diis erat. Ego vero graecam vocem retinui, eamque fonti accommodavi; quod nulla fiat sententiae mutatio, sive adiungatu. fonti, sive iuriiurando. Consule, si vacat, Clericum in adnot. ad hunc versum de aqua zelotypiae apud Hebraeos; de qua et Prideauxius loquitur in *Hist. Iud.*

892 *Fontibus, heic fines* etc. Eosdem hosce versus paullo aliter, quam extuleram superius, heic extuli, ne eadem frigidiuscule verba repetam, quod a Latinorum consuetudine prorsus est alienum, quamvis apud Graecos in usu sit. An etiam hi versus huc intrusi? Certe eos ab Hesiodo bis repetitos sine ulla probabili caussa vix crediderim.

900 *Quos prope, in oceani* etc. Iam supra vidimus tres hosce acerrimos Titanas a Iove fuisse quasi custodes additos devictis Titanibus et in carcerem coniectis. Hoc novum atque indictum antea, fuisse Briareo a Neptuno in coniugem datam suam filiam Cymopoliam ob egregiam eius virtutem.

Robora miratus Briarei regnator aquarum
Ipse suum fecit generum, natamque iugali
Foedere formosam dedit olli Cymopolian.
At simul e caeli stellata Iupiter arce
Titanas victor deiecit, Terra Typhoeum
Gnatorum extremum partu tulit, illa cubile
Tartari, inexstincta Veneris vi saucia, scandens.
Olli dura inerant, nullo frangenda labore,
Brachiaque, indomitique pedes: centum aspera colla
Ex humeris, centum exstabant horrenda draconis
Et capita et nigris circum lambentia linguis
Ora deo. flammis ardebant lumina torvo
Dira supercilio, iactabantque ignea tela;
Omnigenoque sono varias imitantia voces
Rauca fremunt super ora. interdum namque sonabat

---

906 *Titanas victor* etc. Typhoeus ultimus Telluris filius e Tartaro susceptus, cuius heic a poeta fit descriptio, maxima fuit vi corporis animique praeditus, sed scelestissimus idem atque impudentissimus. De eodem ferme omnes loquuti sunt poetae et mythologi. Nos autem, quoniam alibi de Typhone agentes Clerici opinionem sequuti sumus, heic item sub eodem fere nomine describi scelestos Iordanis incolas, quorum historiam et excidium Graecis forte narraverant Phoenices opinamur.

916 *Rauca fremunt super ora*. etc. Hesiodus quidem inter alia quae ad hanc Typhoei vocum diversitatem pertinent, haec habet: *ἄλλοτε μὲν γὰρ φθέγγονθ᾽, ὥστε θεοῖσι συνιέμεν*, id est *ut diis liceret intelligere*; quod fere idem sonat, ac quod ego dixi voce *deum*, nam *dii deorum voces nequeunt non intelligere*. Guieto tamen hic versus

Voce deum, interdum tauri mugitibus, ira
Quum furit immani ferus, interdumque leonis
Rugitu horrifico; aut catulorum infanda ciebat
Murmura latrantum, aut stridentia sibila, late
Queis nemora, et valles circum, saltusque gemebant.
Ac vero miseranda et ineluctabilis illo
Tempore res effecta foret, summumque Typhoeus
Imperium, caelo terraque potitus, haberet;
Ni pater omnipotens cavisset triste periclum
Ocyus avertens. ergo vi concitus acri
Horrendum intonuit: longe concussa fragore
Immenso terra ingemuit, caelumque superne,
Pontusque, oceanusque et fundo tartarus imo.
Terrae inter gemitus tremuere cacumina Olympi
Sub pedibus regis, quoties infestus ad arma
Adsiliit. gravis ardor utrinque immensa refusi
Caerula percurrens pelagi vastabat; et inter
Flammarumque globos, iaculataque turbine tela
Horribili a monstro, nimborum e sede corusca
Fulmina cum strepitu magno contorta cadebant.
Quo tellus ardore omnis, quo celsa furebant

---

est omnino supposititius ac delendus, quod non facile persuadet; neque enim caussam video.

922 *Ac vero miseranda* etc. Typhoeus nimirum, ni Iupiter qua erat providentia praeditus, prior ipsum supplicio mulctasset, sibi arripuisset imperium. Haec autem Iovis pugna digna est profecto, quae legatur ab omnibus artis poëticae studiosis: est enim tota Musarum non fucatis distincta luminibus, interque Longini exempla de Sublimi referenda.

Templa poli late ferventia, et incita circum
Littora se vasto volvebant murmure fluctus
Impete concussi divum. pugna aspera utrinque
Ardet inexpleto, studiis certantibus, aestu.
Extimuit Pluto, imperium qui noctis opacae,
Vmbrarumque tenet regnum; Titanes et ipsi
Saturnum circa affusi sub tartaro atro
Diriguere metu trepidi, certamine tanto.
At postquam cunctas irarum effudit habenas
Iupiter, excivitque animos, fera fulmina dextra
Ingeminans, tonitru coniuncta, et fulguris igne,
Perculit aggressum nimboso e vertice, et acri
Omnia combussit monstri capita horrida flamma.
Dein stratum ac foedo laceratum vulnere truncum
Cum gemitu Telluris et anxifero ululatu
Dissecuit. vapor ibat ab icto a fulmine rege
Flammeus, ac saltus late desertaque montis

---

954 *Flammeus, ac saltus* etc. Situs est lacus Asphaltites in valle profunda inter montes Moabitidis et Chananaeae regionis. Si igitur sub Typhoei nomine intelligendi sunt inferioris Iordanis incolae, qui quod dei essent hominumque contemptores atque osores, utrisque bellum indixisse credebantur, heic recte tellus, quae stamni instar aut ferri liquitur, lacum illum plenum bitumine ac tetrum odorem exhalantem indicabit. Ceterum si quis curiosius petat, quid Iovi in Thessalia regnanti cum Iordanis incolarum duce, primum respondebo, nimiam hanc in fabulis consensionem praeposteram esse ac importunam; deinde dicam, nil vetare, Iovem etiam illuc imperium extendisse, praesertim quum et in Creta regnasset.

Culmina fumabant. tum circum exusta calore
Ingenti, ut stannum, tellus liquefacta fluebat:
Stannum, quod iuvenum multa manus arte cavatis
Excoquit in scrobibus; vel ferrum, corpore praestat
Quod valido solidoque magis, postquam ignis ab aestu
Incaluit nigro latebrosae rupis in antro,
Liquitur in varios, quos iussit Mulciber, usus.
Sic tellus liquefacta fluebat: nec mora; tristis
Pectore, correptum tenebrosa in tartara iecit.
Humida vis autem ventorum est nata Typhoeo
A domito, exceptis Borea, Zephyroque argesta,
Atque Noto genitis a dis in magna virorum
Commoda. flant alii pelagi per caerula frustra,
Aut etiam obscuro gliscentes turbine ponti
Per freta rauca fremunt, clades mortalibus ingens:
Praecipitique rates adversi flamine raptant
In syrtes, nautasque premunt. non tendere contra,
Nec fugere est, si quis iactantibus incidat undis.
Saepe quoque et pictis halantes floribus agros

---

964 *Humida vis autem ventorum* etc. Venti, ut ita dicam, secundarii dicuntur heic geniti a Typhoeo, ubi nequidquam se torquent interpretes, cur Hesiodus non et Eurum exceperit cum aliis tribus, quum et ipse *μαψαῦρα* nequeat vocari. Idcirco quidam illam vocem *ἀργέστην*, de qua alibi dixi, volunt esse Α'ϖηλιώτην seu *Subsolanum*, quum tamen constat esse ventum occidentalem, qui et *Corus* vocatur. Vide Plinium lib. II: Quid igitur dicendum? Sollemne illud Horatii, irasci nempe oportere,

„ ..... quandoque bonus dormitat Homerus.

Effusi perflant, hominumque boumque labores
Pulvere corrumpunt, sparsis cum murmure aristis.
Interea divum cessit labor; atraque monstra
Titanum ut domuere immensa laude potiti,
Caelicolae iussere Iovem regnare sequuti
Consilium terrae: sceptrum ille accepit, et aequus
Omnibus imposuit leges et munera divis.
Ac primum iunxit Metin sibi plurima doctam

---

981 *Ac primum iunxit* etc. Hinc tertiam deorum aetatem proprie auspicatur Hesiodus. Iupiter Saturno Titanibusque devictis summoque imperio potitus deam Metim, prudentiam nimirum, sibi coniugem primam delegit. Id politice fictum. Nihil enim regibus carius coniunctiusque esse debet prudentia, qua qui utuntur diligenter, rempublicam sapientissime administrant. Quae vero heic de Pallade subiiciuntur, ab aliis mythologis paullo aliter narrantur, deamque hanc e Iovis capite seu cerebro ortam dicunt, unde et a Romanis *Capita* vocabatur, ut *Fast.* lib. III suspicatur Ovidius:

„ Parva licet videas Capitae delubra Minervae,
„ Quae dea natali coepit habere suo.
„ Nominis in dubio caussa est: capitale vocamus
„ Ingenium sollers, ingeniosa dea est.
„ An quia de capitis fertur sine matre paterni
„ Vertice cum clypeo prosiluisse suo?

Certe haec ultima explicatio ceteris praeferenda videtur; nam et Τριτογένεια dicitur heic ab Hesiodo eodem non bene secum consentiente. Hesychius enim habet: Τριτὼ, Νίκανδρος ὁ Κολοφώνιος φησὶ, τὴν κεφαλὴν καλεῖν Ἀθάμανας; idemque hac voce significari apud Cretenses, docet Eustathius ad Iliad. IV. Qua de re vide et Callimachum in elegia de lavacro Palladis; et, si vis ridere, Lucianum festive iocantem in dialogo Iovis capite laborantis cum Vulcano.

Facta hominum divumque. gravis quae forte Minervam
Quum foret aetherias vitae paritura sub auras,
Arte dolisque Iovis capta est. rex condidit alvo
Ipse sua, matris praereptam e corpore, natam
Sic monitus Terrae ac stellati numine Caeli,
Ne quis praestantem supremi regis honorem,
Aut habeat sceptrum potior. nam fata ferebant
Hinc fore progeniem claram prudentibus orsis.
Metis erat paritura insignem lumine glauco
Tritogenam, mentemque patri, viresque foventem
Assimiles, quondam divumque hominumque supremum
Regem educturam. prius illam at Iupiter alvum
Condidit in propriam, dea prudens semper ut adsit,
Fasque nefasque suo retegat non invida patri.
Post niveam casto Themidem sibi foedere iunxit

---

996 *Post niveam casto Themidem* etc. Altera Iovis coniux Themis, quae iustitiae praeses, immo ipsa Iustitia. Et id sapienter commentum. Etenim regibus non minus prudentia necessaria est ad bene regendam conservandamque remp. quam iustitia. Ex hac natae sunt eidem filiae Horae, Eunomia nimirum, Dice atque Irene, ut nomine ipso prae se ferunt, maxime utiles mortalium generi. Itaque Pindarus Olymp. XIII, beatam ac omnium rerum copia affluentem Corynthum describens; in hac, inquit, Eunomia habitat sororesque, fundamenta urbium, firma Iustitia et iisdem moribus praedita Pax, dispensatrices hominibus divitiarum, aureae filiae Themidis bonae consultricis. Sed graeca multo meliora. Hinc Horae et pulchritudinis omnigenae praesides habitae sunt et ab Hesiodo et a Theocrito. Aliae autem fortasse sunt Horae, quas et Homerus et Ovidius et Val.

Saturno genitus, quae pulchras edidit Horas
Eunomienque Dicenque atque Irenen florentem,
Tempore quamque suo mortalibus alma ferentem
Munera. progenuit Pareas quoque, queis honor ingens
Ab Iove, magnanimam Clotho, Lachesimque potentem,
Atropon et fortem, generi quae commoda nostro
Multa malis miscent, vicibusque alterna ministrant.
Tres autem Eurynome Oceano genitore creata
Formosas ipsi Charitas dedit aurea partu
Aglaïenque atque Euphrosynen Thalienque venustam,
Quarum oculis clare e fulgentibus ille virorum
Corda domans destillat amor: sic dulce tuentur.
Frugiferae hinc Cereris thalamum conscendit Olympi

Flaccus esse dicunt caeli ianitrices. Verum cur heic Parcarum fit mentio? Nonne illis superius alii sunt parentes a poëta tributi? Vsque adeone oscitantem Hesiodum dicemus; an potius culpam in aliquem inficetum atque ineptum hominem, qui primus istos huc suae inscitiae testes intrusit versiculos, omnem transferemus? Omnino ita statuendum.

1004 *Tres autem Eurynome* etc. Eurynome Oceani filia, uxor Iovis tertia, ex qua tres Gratias suscepit. Neque id sine ratione: quidquid enim boni pulchrique est in rep. a summo imperii moderatore derivari censetur.

1009 *Frugiferae hinc Cereris* etc. Iupiter e Cerere quarta uxore Proserpinam generavit. Ceres autem non aliud significat nisi frugum copiam, a qua in omne genus hominum manat illa, felicitatis principium, abundantia. Hinc et Plutoni data fingitur Proserpina; quod Cereris filia apprime convenit divitiarum regi.

Regnator, niveis quae te, Proserpina, palmis
Edidit insignem, et pulchram genitricis amato
E gremio rapuit nutu Iovis arbiter orci
Tartareis invectus equis. dein captus amavit
Mnemosynen flavis spectandam in fronte capillis,
Produxitque novem Musas, quibus aurea vittis
Tempora sunt variis incincta, et dulcia cordi
Carmina, iucundaeque placent convivia mensae.
Praeterea ipsius quondam dignata cubili

1014 *Mnemosynen flavis* etc. De Mnemosyna quinta Iovis uxore deque Musis satis diximus in primis huiusce operis adnotationibus. Musas autem ego vittis ornatas dixi non mitra, ut quidam explicant *ἄμπυκα*. Mitrae enim barbarae habebantur, et a graecarum matronarum puellarumque reticulis erant diversae, quamvis eadem fasciae quaedam fuerint, quibus comae religabantur. Ovidius inquit:

„ Simulavit anum, mitraque capillos
„ Presserat. Et Iuvenalis:
„ Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.

Quod vero ille vetulis, hic meretricibus ornamentum dat, quis Musis florentissimis castissimisque puellis tribuat?

1018 *Praeterea ipsius quondam* etc. Latona sexta Iovis uxor Phoebum et Dianam peperit: ex quo vides utrumque distingui a Sole ac Luna, qui Hyperionis ac Thiae filii. Postea vero haec nomina confusa sunt, quod nimirum quum ex hac vita ambo decesserunt interque deos abierunt, Solem Apollo insederit, Lunamque Diana: quid simile et Aegyptii de Horo ac de Iside commenti sunt. Plura si velis hac de re, vide Macrobium in *Saturn.*, et Hyginum lib. II *De signorum caelestium historiis*. Lege etiam Homeri hymnum in Apollinem, si omnia Phoebi gesta, quae a mythologis narrantur, amas cognoscere.

18

Latona optato se vidit Apolline laetam,
Dyctinnaque arcu, et levibus gaudente sagittis,
Prole bona superos inter felicior una.
Postremam vero florentem in vere iuventae
Connubio iunxit stabili, thalamoque recepit
Iunonem, quae mixta olli produxit in auras
Hebenque, et Martis grave numen, et Ilithyan.
Ipse autem e sacro prognatam vertice glaucis

1022 *Postremam vero* etc. Haec illa Iovis et soror et coniux Iuno, quae coniugis in culpa flagravit quotidiana, ut ait Catullus, quamvis numquam dimissa fuerit. Heben peperit, iuventutis deam, cuius nomen deducit Clericus a voce hebraica *Eb*, quae est *viror*, et probe iuventuti convenit. Peperit etiam Martem bellorum praesidem, qui quod fortasse inter Thraciae populos ferocissimos vixerit, post mortem iisdem habitus est deus praecipuus ac omnium praesentissimus. Ac sane Thracum mores cum Martis religione consentiunt: nam, ut Herodotus ait lib. v., est apud Thraces, otiosum esse, honestissimum, agricolam agere, contemptissimum; e bello atque rapto vivere, pulcherrimum. Iuno deinde peperit Ilithyam partuum praesidem, quae cum Diana postea confusa est seu Luna, quod mensibus praesit. Sed male, nam optime Iuno apud Lucianum: quì potest credi, inquìt, parturientibus obstetricari Dianam, quum virgo sit? Clericum adito in edit. Graev. Hesiod. ad hunc versum. Ceterae sive deae, sive mulieres, ex quibus Iupiter fertur suscepisse liberos, pellices habendae sunt, non coniuges.

1026 *Ipse autem e sacro* etc. Ergo male paullo ante dixit Hesiodus, Minervam fuisse in alvo a Iove repositam, quum heic dicat ortam e capite. At Hesiodus facile respon-

Pallada luminibus genitor sine matre creavit
Magnanimam, strepitus inter quam ducere turmas
Indomitam, clamorque iuvat, bellumque, necesque
Sanguineae. hinc pariter non ullius indiga Iuno
Auxilio, magno cupiens certare Tonanti,
Invidiaque furens, totis ac viribus usa,
Vulcanum est enixa, omnes qui callidus inter
Caelicolas manuum sollerti praestat honore.

---

debit, dicetque ex alvo, ubi concreverat, in caput Iovis migrasse, atque ex illo demum in lucem prodiisse Minervam. Affirmat Clericus, ideo Iovem dictum hanc filiam ex se ipso solum peperisse, quod sibi adoptaverit, quam ipse solus educare atque erudire voluerit. Et re quidem vera, multos habuit communes cum Iove honores haec dea, uti videre est apud antiquos scriptores.

1031 *Auxilio, magno cupiens* etc. Quemadmodum Iupiter sine matre Minervam in lucem edidit, ita Iuno, qua erat ambitione praedita, ne ista quoque in re minus potuisse Iove videri voluit, Vulcanumque ex se sola et concepit et peperit. Nam illa *ἐν φιλότητι*, ut est in textu vulgato, sine dubitatione legenda sunt *ὀυ φιλότητι μιγεῖσα*, id est *sine concubitu*. Aliter non haberet comparatio locum. Scholiastes habet *πρῶτος οὗτος*, nimirum Hesiodus, *τὸν Ἥφαιστον ἐκ μόνης Ἥρας εἶπε*. Quare videtur legisse *ὀυ* non *ἐν*: additque hoc esse animadvertendum, nam Homerus eumdem facit etiam ex Iove. Idem docent et Apollodorus lib. I *Bibl.* et Clericus et Graevius et omnes ferme huiusce loci interpretes. Itaque uti diximus, Iovem adoptasse sibi Minervam in filiam, sic Iuno dicenda erit Vulcanum adoptasse, fabri cuiusdam filium, fabrum et ipsum futurum celeberrimum.

Ex Amphitritae et Neptuni natus amore
Lucem hausit validus Triton, qui stagna profundi
Ima tenens, matrem iuxta patremque potentem,
Aurea tecta colit fortis deus. at tibi, Mavors,
Frangere cui clypeos bellantum atque aera voluptas,
Terroremque Metumque Venus gravis edidit, una
Assuetos tecum densas turbare phalanges,
Et quatere horrendis trepidas insultibus urbes;
Harmoniamque super, qua clarus coniuge Cadmus

1036 *Lucem hausit validus* etc. Triton filius Amphitritae et Neptuni deus maris habitus est insignis, praesertim in inflanda buccina seu chonca

„ Quae medio concepit ut aëra ponto,
„ Littora voce replet sub utroque iacentia Phoebo,

ut ait Ovidius. Virgilius autem de illo Miseno aeolide, quo non praestantior erat alter, aere ciere viros, Martemque accendere cantu, inquit:

„ Sed tum forte cava dum personat aequora chonca,
„ Aemulus exceptum Triton, si credere dignum est,
„ Inter saxa virum spumanti immerserat unda.

Dii nimirum aemulos gloriae eiusdem ac laudis homines habere non patiebantur. Vnde et Marsyae supplicium, et Arachnae, et Euryti, et alia sexcenta.

1040 *Terroremque Metumque* etc. Terror ac Metus, poëticae personae, filii dicuntur Veneris atque Martis, quod in bellis aut aliis terrorem incutimus, aut nos ipsi timore afficimur. Hi semper et ab Homero et ab aliis poëtis Marti comites tribuuntur, eumque in bellum sequuntur.

1043 *Harmoniamque super,* etc. Martis item Venerisque filia Harmonia Cadmo nupsit. Admodum vero ingeniose, ut dicam cum Clerico, Sam. Bochartus *Chanaan.* lib. I no-

Gavisus quondam est. Atlantis filia Maia
Mercurium, qui certa deum fert iussa per auram,
Ab Iove conceptum fudit; Semeleque verendi
Progenies Cadmi pariter sociata Tonanti
Natum immortalem genuit mortalis Iacchum
Laetitiae auctorem, qui divum sede potitus
Aetheria gaudet divino et matris honore.

---

men Cadmi coniecit significare eius patriam, quae erat eorum Cadmonaeorum, de quibus Moyses *Gen. xv*, Harmoniam vero dictam ex monte Hermone, qui pars fuit Antilibani ad ortum fontium Iordanis. Sed Graeci aliter Harmoniam explicant. De Cadmi vero praestantia, eiusque cantus excellentia, qua Thebas condidit, et Propertius et passim alii poëtae multa dixerunt. Hic e Phoenicia litteras in Greciam attulit; Palamedes aliique deinceps auxere usque ad xxiv.

1045 *Mercurium, qui certa* etc. Maia, una Pleiadum, Iovi peperit Mercurium, de quo lege hymnum, qui inter homericos recensetur, plenamque eius fraudium furtorumque historiam cognosces.

1047 *Progenies Cadmi* etc. Semele Cadmi filia, mortalis omnium prima, ex Iove Bacchum concepit. Sed num Cadmo posterior Bacchus censendus est? Imo multo antiquior fuit, ut multis ostendit Bochartus *Chan.* lib. I. Ideo autem Thebanus creditus est, quod conditores Thebarum eius cultum in Graeciam ex Oriente attulerant. Hinc et Dionysus dictus ex δίος et Νύσα urbe Arabiae, in qua fuit educatus. Sed Bacchi mythologia maxime implexa est ac tenebris involuta. Nonnus in suo poëmate quam plura potuit de eodem collegit lectu digna. An etiam idem cum Nemrodo? Lege Bochartum et Clericum de eodem disseren-

Nec minus Alcmene robur creat Herculis olli
Per noctem furto congressa. at claudus utroque
Ille pede ignipotens Vulcanus coniuge parta
Aglaïa, Charitum prima, sua gaudia sensit.
Bacchus item auricomus flavam crines Ariadnam

---

tes. Fabula autem, quod ortus sit ex Iovis femore, matre a fulmine exanimata, fortasse ficta, quia et Phoenices et Syri, quos ab aliquo generatos affirmant, dicere solent, eos e femore illius egressos.

1051 *Nec minus Alcmene* etc. Mortalis altera mulier cum Iove congressa. Alcmena nempe illa Amphitryonis uxor, Herculem protulit in lucem. Et Bacchus et Hercules et ceteri eiusmodi deorum filii ex mulieribus generati pro nothis haberi debent, quemadmodum illi omnes fuisse censendi sunt, qui in templis lucisque sacris aut propter flumina a fraudulentis hominibus ornatu saepe cultuque varios deos imitantibus generabantur; utque honori puellarum, quae vim erant passae, consuleretur, in vulgus proferebatur a diis fuisse genitos. Plena est exemplorum huiusce fraudis vetustas, nihilque erat familiarius, quam deorum superstitione nefariam obtegere improbitatem ac libidinem. Tu legesis Dionysium Halic. lib. I *Ant. Rom.* de Ilia vel Rhea Numitoris filia Vestali; lege Iosephum *Ant. Iud.* lib. XVIII de Paullina a Decio Mundo decepta; lege denique Herodotum lib. I *De templo Iovis Beli*, quod erat Babylone, disserentem, huiusque rei manifesta deprehendes indicia. Commodum erat id credere, ideoque facile credi simulabatur.

1053 *Ille pede ignipotens* etc. Homerus cum aliis poëtis mythologisque multis Venerem Vulcano tribuit uxorem, non Aglaïam Gratiarum primogenitam.

1055 *Bacchus item auricomus* etc. Ariadna a Theseo in

Minois natam certo sibi foedere iunxit,
Quam senii lethique expertem Iupiter arce
Reddidit in supera. iustis Heben hymenaeis
Post duros casus et multa pericula victor
Alcides, proles Alcmenae martia, duxit,
Heben, Iunonis Iovis alti et sanguine cretam,
Sidereo nivei florentem in vertice Olympi.
Felix, qui potuit tantos superare labores,
Et nunc indomitae virtutis praemia laetus
Accipit ipse deos inter deus additus astris
Immortali aevo gaudens, vitaque perenni.
Soli autem, assiduo qui se per inania motu

---

insula Dio derelicta, ibique a Baccho inventa, fuit ab eodem in caelum avecta. Nupta eidem, immortalitatem est consequuta. Vide Catullum in carmine: „ Peliaco quondam etc. Et Nonnum in primis, cuius fabulas mire Dupuisius ad astronomiam transfert.

1060 *Alcides, proles* etc. Hebe, de qua supra diximus, Herculi deorum iam honores consequuto data est. Hanc Iovi ad poculum solitam stare dixerunt, antequam Ganymedes ille Troianus puer ex Ida ab aquila raptus in eius locum successit. Porro Heben deam iuventutis Herculi datam ideo coniugem non immerito opinatur Clericus, quod quum Graeci unum hominem fuisse crederent, nec intelligerent, quî vita unius hominis sufficere posset ad eas res gerendas, quas et tempore et loco diversissimas gessisse dicitur, aeternam ei iuventutem a diis concessam arbitrati sunt. *Harokel*, unde Ἡράκλης, Phoenicibus est mercator; quare fortasse hoc nomen non proprium est, sed appellativum.

1067 *Soli autem, assiduo* etc. Perseis oceanine Soli nu-

Volvit agens, pulchra Oceano patre edita nympha
Perseis Circenque dedit, regemque superbum
Aeeten. heic post divum mandata sequutus
Oceani gnatam formosam accepit Idyiam,
Quae Veneris taedas experta et dulcia vincla
Eximiam certo Medeam tempore fudit.
Vos mihi nunc, terraeque omnes scopulique, valete;
Et salsi valeant ponti freta. dicite divae,
Dicite olympiades Musae, Iovis inclyta proles,
Quaeve, quibusve deae mixtae mortalibus olim
Protulerunt natos similes caelestibus ipsis?
Prima Ceres cunctas inter pulcherrima divas
Iasio heroï Cretae foecunda per arva

---

pta Circem atque Aeetam genuit. Quae de Circe dicuntur, notissima sunt. Nota pariter historia regis Aeetae, qui ex Idya Medeam suscepit, uti constat et ex Apollonio Rhodio, et ex Valerio Flacco in *Argonaut.*, quos tute adito, si horum desiderio teneris. De hac re inter recentiores agit cl. Denina in *Graec. Hist.* lib. I cap. 7, ubi de Argonautis.

1077 *Quaeve, quibusve deae* etc. Huc usque Hesiodus de iis loquutus est, qui ex diis et mulieribus nati dicebantur; nunc aliquot enumerat, qui ex deabus hominibusque procreati ferebantur. De quibus idem sentiendum, quod diximus de superioribus.

1079 *Prima Ceres* etc. Cum Iasio aut Iasione, ut eum vocat Theocritus, commixta Ceres edidisse dicitur Plutum, de quo Lucianus in *Timone*, et Aristophanes in eius nominis comoedia. Apud Homerum autem sic queritur Calypso cum Mercurio *Odyss.* lib. v.

Accubuit furtim, ter scisso abiecta novali,
Ac genuit Plutum, qui vastam obeuntia terram
Aequora, telluremque ipsam late undique lustrat
Pervolitans. cuicumque viro venit obvius idem,
Nec fugit elapsus, cupido largitur et amplas
Divitias, et dona parat felicia vitae.
Harmonia idaliae Veneris clarissima gnata
Pulchram Ino, et Semelen, et Agaven fronte venusta,
Autonoënque, sibi caram quam rite comatus
Duxit Aristaeus, Cadmo est enixa parenti,
Et Polydorum etiam Thebarum in moenibus altis.

„ Dî, genus adversum nobis, quaenam improba tantum
„ Invidia, haud vacuo divas requiescere lecto,
„ Si qua virum placito carum sibi iunxit amore?
„ Sic roseos ornata sinus ut Oriona cepit
„ Aurora, invidiae stimulis ingentibus actos
„ Vos doluisse polo memini, nec desiit ira,
„ Donec in Ortigiae sylvis latonia virgo
„ Perculit aggressum numquam fallente sagitta.
„ Sic etiam quum victa animi Iasiona petivit
„ Flava Ceres, dulcemque ardens saturavit amorem
„ Mixta viro per culta soli, non inscius illum
„ Iupiter ardenti iaculatus fulmine stravit.

1087 *Harmonia idaliae Veneris* etc. Ad Harmoniam relabitur poëta, ut eius prolem e Cadmo susceptam enumeret, cum unam antea Semelem nominaverit. Itaque praeter hanc narrat genuisse Ino Agaven et Autonoën, cui nupsit Aristaeus; et praeterea filium Polydorum, Thebis iam conditis. Hae sorores gravissimum sumpserunt supplicium de Pentheo orgia Bacchi contemnente, de quo Ovidius *Metam.* lib. III prope finem.

Magnanimum valido Chrysaori oceanitis
Calliroë peperit gnatum, qui robore praestans
Ante alios coetu sese iactabat in omni,
Geryonem, tibi quondam Erythiae in litore caesum,
Alcida, camuros propter, tua praemia, tauros.
Memnona Tithono genuit caput aëre revinctum

1092 *Magnanimum valido Chrysaori* etc. Hi versus suo de loco moti sunt, res enim et dicta est, et omnino aliena heic a poëtae proposito. Chrysaor non mortalis vir est, sed immortali natura praeditus per Hesiodum, quare eius proles non est censenda in numero filiorum, qui ex deabus cum hominibus coniunctis orti sunt.

1097 *Memnona Tithono genuit* etc. Aurora e Tithono duos heic filios suscepisse affirmatur, Memnonem et Hemathionem, quos ideo cum aliis interpretibus Aurorae filios dictos esse puto, quod ambo in superiori Aegypto, aut Aethiopia, quae regiones collatae Graeciae ad solem orientem spectant, regnaverint. Fortasse et Hemathionis nomen est a Syriaca appellatione *Hhemat*, inquit Clericus, ut vocabatur Syriae urbs, ad quam pertingebant septentrionales fines Palaestinae. Sed ego potius hoc nomen deduxerim ab ἡμάτος seu *die*, quod ab oriente nascatur dies. Memnonis et Homerus in *Iliade*, et Virgilius in *Aen.* mentionem fecerunt. Eadem autem Aurora e Cephalo protulit Phaetontem, sed, ut videtur, diversum ab illo, qui Solis, et Climenes filius ab Ovidio *Metam.* lib. II dicitur, quique mundum conflagrare fecit, ictusque a Iovis fulmine in Eridanum decidit. An hic Phaeton est sidus Veneri sacrum, nimirum Phosphorus? Lege quae de illo dicat Dupuisius in opere alias citato pag. 521. An potius ille, quem in Sole regnasse dicit Lucianus *Hist. Ver.* lib. I, bellumque gessisse cum Lunicolis?

Aethiopum regem Aurora Hemathionaque dium.
At Cephalo Phaetonta parem caelestibus, olim
Quem tenera sparsum roseas lanugine malas,
Ignarumque, et adhuc puerilia vota foventem,
Laeta Venus rapuit, templi geniumque futurum,
Custodemque sui, tenebrosae noctis in umbra.
    Natam autem Aeetae regis, postquam omnia victo
Praeliaque et duros superavit marte labores,
Imperiis rex ipse suis quos ferre coactum
Multos mandarat Pelias, per caerula vexit
A patre abductam rediens ad moenia Iolci
Aesonides nutu divum, thalamoque recepit
Florentem blandeque tuentem. ibi Iasone foeta
Medeum peperit, quem celso montis in antro
Phillyrides aluit Chiron, ceu fata iubebant.
    At proles Nerei dio sata sanguine nympha,

1104 *Natam autem Aeetae* etc. Medeam, uti notum, Iason dux Argonautarum et Aesonis filius, uxorem duxit, eamque secum in urbem Iolcum deportavit. Res est omnium sermone vulgata, ut non operae pretium sit in ea diutius morari. E Medea vero et Iasone Medaeus heic tantum ab Hesiodo natus dicitur, quem a Chirone facit educatum, quod et de Achille accepimus, et de ipso Iasone, qui antea Diomedes dicebatur. Multi alii Medeae et Iasonis fuere filii, quos mater crudelissime interfecit. Vide Diod. Sic. et Bannierium.

1113 *At proles Nerei* etc. Psamathe Nerei filia Phocum peperit Aeaco, Thetis Peleo Achillem, quas ego Nymphas esse arbitror duas puellas deprehensas in aliquo fluvio sese lavantes, ibique compressas ab Aeaco et Peleo. Quum ve-

Pulchra quidem Psamathe tibi protulit, Aeace, Phocum;
Sed tibi pressa Thetis plantas argentea, Peleu,
Sternentemque viros, animosque leonis habentem
Indomiti, clademque Phrygum, produxit Achillem.
Aeneam in riguis nemorosae vallibus Idae
Dardanio Anchisae commixta in amore creavit
Alma Venus rutilo bene serto tempora cincta.
Gnata hyperionidae Solis Circe aurea vafro

---

ro prolem ediderunt, fuisse hanc in fano aliquo Neptuni aut Nereidum delubro depositam, et verum matrum nomen occultatum. Vana tantum religio malorum suadere potuit.

1118 *Aeneam in riguis* etc. Quod de Phoco et Achille diximus, dicendum pariter de Aenea, cuius quum mater ignoraretur formaque esset omnibus admirationi a Venere ortus iactabatur, mendacio antiquissimis illis temporibus frequenter ad prolem cohonestandam usurpato. Vide inter homericos Hymnum in Venerem, quemadmodum belle atque eleganter italicis versibus extulit ac luce publica donavit inter alia sua doctissima carmina Gasto Comes Rezzonicus ille flos merus omnium Italorum, delectae et pater eruditionis. Vtinam et Musaeum seu Herus et Leandri amores cito nobis proferat!

1121 *Gnata hyperionidae Solis* etc. Vlysses e Troia rediens per varios errores etiam apud Circem aliquo tempore mansisse narratur ab Homero, ex qua duos per Hesiodum suscepit liberos Agrium et Latinum. Clericus vellet legi Adrium non Agrium propter mare Adriaticum, ut nimirum intelligatur, hos utriusque maris superi et inferi regionibus in Italia imperasse. Animadverte tamen Hyginum non Vlyssis sed Telemachi filium Latinum facere; Dionysium vero Halicar. eundem Latinum Herculis filium memo-

Agrion atque Latinon Vlyssi protulit, acrem
Progeniem iustamque: procul qui litora circum
Omnia Tyrrhenum vasta ditione tenebant.
Olli Nausithoum pariter formosa Calypso,

---

riae prodidisse, cuius mater puella quaedam Hyperborea Fauno Aborigenum regi postea nuptum data fuit, quo factum ut plerique Latinum Fauni non Herculis filium esse putarint, quemadmodum et Virgilius lib. vII *Aen.* Sed idem lib. xII Latini avum Solem vocat, quasi fuisset Circes filius. Ad quem locum vide Servium, qui Virgilium in varietate historiae fatetur dicta aliquando variare. Quidam etiam Telegonum Vlyssis dicunt e Circe filium Tusculi conditorem, quem Horatius in Ode xxIx lib. IIl parricidam appellat, quod imprudens patrem occiderit, ut Vlyssi Tiresias vaticinatus erat lib. xI *Odyss.* inquiens:

„ . . . . post funus ab undis
„ Adveniet tibi Parca ferens, quum longa senectus
„ Canitie placida confectum cernet, et omnes
„ Otia te circum peragent felicia gentes.

1125 *Olli Nausithoum pariter* etc. Nausithous et Nausinous ex nympha Calypso item Vlyssis filii. Libenter quidem Clerico assentior, hos ita fuisse vocatos, quod Vlysses animum seu cogitationem haberet semper in nave celeri. Alius fuit Nausithous ille, de quo Homerus *Odyss.* lib. vII dicit:

„ Primum Nausithoum fudere in luminis oras
„ Neptunus terrae domitor Peribaeaque forma
„ Egregia, extremi clarum genus Eurymedontis,
„ Qui quomdam imperio tenuit fera regna gigantum.

Ex hoc enim ab Homero dicitur natus Alcinous, qui Phaeacibus seu Corcyrae imperabat, quum in eam insulam Vlysses naufragio compulsus appulit.

Nausinoumque super, vitales fudit in oras.
Hanc sobolem divae mixtae mortalibus olim
Ediderunt. nunc o blando vos carmine musae
Femineum cantate genus, paribusque referte
Laudibus aërii linquentes culmina Olympi.



1127 *Hanc sobolem divae* etc. Hactenus generationem illorum, qui ex hominibus ac deabus nati putabantur, recensuit Hesiodus. Heic vero *Theogoniae* finem faciens videtur polliceri, se feminarum illustrium laudes celebraturum: cuius fortasse carminis ea nobis pars una superest, quae *Scutum Herculis* inscribitur, incipitque, ut nunc exstat, a laudibus Alcmenae; pertinetque ad quartum Catalogum. Vide Fabr. *Bibl. Gr.* lib. II cap. VIII, ubi veteris auctoris scholium quod in Aldina editione Ἀσπίδι subiicitur, integrum legitur: τῆς Ἀσπίδος ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ δ' καταλόγῳ φέρεται etc.

HESIODI

ASCRAEI

OPERA ET DIES.

AD LECTOREM

DE

OPERVM AC DIERVM

CARMINE.

Si quae veteres Scholiastae recentioresque latini interpretes in Hesiodi *Opera et Dies* (1), quod ego carmen latinis heic tibi versibus a me expressum iterum exhibeo, humanissime Lector, commentati sunt, velim enumerare, dies profecto me deficeret. Nam quum et Aristoteles et Xenophon et Plato, et qui eorum voce loquitur Socrates, omnisque fere antiquitas Hesiodum semper habuerit tamquam optimum moralis philosophiae praeceptorem; mirum sane non est,

(1) Carmen hoc in deliciis olim Seleuco Nicatori ita fuit, ut eius mortui capiti suppositum fuerit inventum teste Ptolemaeo Hephaestione lib. v apud Photium Cod. 190 vocaturque *κατ' ἐξόχην* Hesiodi opus. Boeotii autem hoc eius tantum genuinum carmen putabant; sed male.

plurimos deinceps scriptores in eo tempus operamque collocasse, ut poëtae tanti tantorumque virorum laudibus commendati vel scripta iniuria temporum foede depravata corrigerent expurgarentque, vel mentem omnem scientiamque allegoriis, quibus vates hic vehementer delectabatur, quasi involucris quibusdam conditam, evolverent atque explicarent. Itaque quemadmodum Homerum disciplinarum omnium, praesertim earum, quibus ad actionum singularum prudentiam facile pervenire possemus, patrem exstitisse voluerunt; ita Hesiodum aptissimum esse statuerunt, a quo politica, ethica atque oeconomica praecepta peteremus. Nec ego quidem aliter sentio: hos enim duos totius antiquitatis poetas maximos doctissimosque praestantissima philosophiae documenta versibus tradita reliquisse fateor. Vnum tamen est illud, in quo vehementer dissentio a quibusdam graeculis, qui Hesiodi scripta illustrantes non versum non syllabam non literam unam mysterio carere arbitrati sunt. Ita scelus a se commissum esse ducunt, nisi a singulis vocibus, tamquam e sacris Eleusinae Matris, aut Bonae Deae caeremoniis, reconditiorem aliquam sententiam eruerint. Quamobrem eorum in hunc poëtam com-

mentarios legenti mihi ridere saepe contigit, quum viderem, eos tam longe studiorum aciem intendisse, ut multa, quibus non poëta, quum scriberet, sed ipsorum mens aestuabat, quum legeret, prospicere putarent. Fit enim interdum, ut nos praeconcepta aliqua opinione, praeoccupatoque falsis notionibus, aut saltem temere arreptis, iudicio ad legendum dati ea in antiquis praecipue scriptoribus credamus invenisse, quae invenire sperabamus; vidisse, quae videre optabamus; hausisse ab iisdem, quae multo ante in nobis existebant. Huc accedit, plerosque huiusmodi homines, quod fere omnium grammaticorum proprium est, non scriptoris tantum, quem explicandum susceperunt, laudem famamque undequaque conquirere, verum etiam eruditionem suam doctrinamque venditare, quam maxime cupere. Qua in re magnopere falluntur: nam et a poëtae sensu non semel longissime aberrant, et se ineptos inanisque gloriolae plus iusto cupidos apud cordatos homines ut plurimum exhibent. Atque ego sane non dubito, quin si ab inferis et Homerus et Hesiodus et multi alii auctores, repente excitarentur, dicturi essent, quod Virgilium dixisse scribit in elysiis vates ille festivissimus Diodorus Delphicus; se

quidem minus doctum, quam a Dante Aligherio fingatur, sed multo sapientiorem fuisse. Praeclare ille quidem ac vere: quid enim tam insulsum ac rectae minus rationi consonum, quam eas aliis cognitiones tribuere, quas nec habuere umquam nec habere potuerunt? Modus igitur adhibendus est, ac ingenio temperandum. Quod quum dico, nolim quispiam credat, me doctissimorum hominum labores industriamque, qua in explicandis illustrandisque antiquissimorum auctorum scriptis usi sunt, vituperare. Hoc et alienum a me est et summae esset ignorantiae ne dicam dementiae indicium. Illorum conatus curamque singularem ego maximi facio semperque feci, ac palam dico, eos optime de omni literarum genere meritos me existimare; lucemque maximam antiquitati attulisse, ultro fateri. Quare et Scaligerum et Danielem Heinsium et Clericum et Guictum et Graevium aliosque, qui post Proclum, Tzetzem, Iohannem Diaconum ceterosque graecos sunt Hesiodi carmina commentati, maximopere et suspicio et admiror. Quin immo tanti eorum labores duco, ut desperaverim omnino me hac ingenii eruditionisque tenuitate posse aliquid afferre, quod eorumdem curam effugerit: contraque fateor, me pluri-

mum ab iisdem in hac versione poëtice adornanda adiutum esse, et pleraque, quae in adnotationes tum *Theogoniae* tum *Operum ac Dierum* versibus subiectas congessi, ab iisdem hausisse. In quibus tamen ita me gessi, ut quod necessarium esse ad explicanda obscuriora poëtae loca arbitratus sum, ab immensa eorum veluti sylva excerperem; reliqua omitterem, quae tantum ad ostentandam eruditionis famam pertinere iudicavi. Sic et farragine quadam ac ingenti doctrinae quasi pondere te, amice Lector, liberavi; et ne me alienis plus iusto ornatum coloribus, tamquam illam corniculam grex avium, tot tantorumque virorum turba exueret, providi. Itaque et quid illa aetatum quatuor sibi succedentium descriptio facta in hoc carmine a poëta, et quid Pandora, quid Prometheus, eiusque frater Epimetheus significent, Heinsio diligentius docendam reliqui. Item an haec sint illa Hesiodi carmina de agrorum cultu tot laudibus ab antiquitate celebrata, et de quibus apud M. Tullium Cato querebatur, serio opinor, nihil in iis dictum de stercoratione; perinde quasi cetera omnia ad rem rusticam pertinentia et ab eodem singulari studio, ut ea tempora ferebant, pertractata, continerent. An Virgilius, quum

gloriaretur sese carmen Ascraeum canere romana per oppida, haec imitanda sibi proposuerit tantum, an et alia quaedam Hesiodi, quae interierint carmina, et de quibus Manilius ait; ubi ita de Hesiodo:

Quin etiam ruris cultus legesque sacravit
Militiamque soli: quod colles Bacchus amaret,
Quod foecunda Ceres campos, quod Pallas utrumq;
Atque arbusta vagis essent quod adultera pomis;
Sylvarumque deos, sacrataque numina nymphas,
Pacis opus, magnas naturae condit in usus.

Nam ex his versibus apparet manifeste Hesiodum egisse et de arborum plantatione ac insitione, et de soli natura tum Cereri apta tum patri Libero, et de aliis rebus plurimis ad agrorum curam spectantibus, quae in hoc poëmate, ut ad nostra tempora pervenit, frustra quaeras. An demum Servius et Scaliger, quum Hesiodi *Opera ac Dies* cum *Georgicorum* libris Virgilii contulerunt, iniusti fuerint in Hesiodum res inter se diversissimas conferentes, ut ei quem adamabant maxime, victoriam facilius referrent. Certavit quidem Virgilius et cum Hesiodo, et cum Homero et cum Theocrito; sed alia indoles graecorum, alia scribendi ratio, alia quibus floruerunt tempora: romanus ille vates aevo vixit

augustaeo in ea urbe, quae orbem terrarum imperio complexa nihil nisi grande nisi magnificum atque exquisitum ferre poterat. Sed ego haec omnia ab aliis, ut aiebam, discenda reliqui, quum non aliud mihi proposuerim, quam Ascraei vatis, placidissimi suavissimique senis, ita versus latinis versibus exprimere, ut sine taedio, aut fortasse aliqua etiam cum voluptate, quod a nemine satis bene factum adhuc noveram, a graecae linguae imperitis legi possent. Qui autem P. Virgilio aureum illum nitorem, admirandas digressiones, elegantissimam varietatem georgicarum rerum, in quibus thesauros poëticorum ornamentorum omnes musarumque delicias vates divinus effudisse videtur, in hisce versibus desiderabit, ille certe et mecum iniuriose aget, et Hesiodo non levem importabit calumniam. Nam et mihi illa tantum dicenda erant, quae non a Virgilio, sed ab Hesiodo dicta sunt; et ipse Hesiodus, quum magna ex parte in hoc opere de iustitia, de religione, de industria, deque rebus universis, quae ad vitam recte administrandam pertinent, cum fratre disserat, quem ad laborem exhortatur, ab otioque removet, saepe styli severitatem ac prope philosophorum spinosam illam austeritatem sequatur

necesse est. Nec vero omnis fert omnia tellus, nec omnis eodem modo res ornanda; suus cuique color, sua cuique forma, quae deceat, tribuenda, quumque poësis rerum hanc universitatem, quam naturam dicimus, referat, rebus quas pertractat, habitus accommodat, singulisque eum adhibet cultum, quem singularum species requirere videatur. Alia est amoenitas florum virentiumque camporum, alia sylvarum asperrimarumque rupium: in illis placet venustas, in his horror non displicet. Possum tamen fere dicere, et Hesiodum habere multa, quae si diligentius inspiciantur, nequaquam rebus a Virgilio pertractatis cedere videantur; et me ita animum ad hanc versionem applicuisse, ut quotiescumque liceret, purissimam illam Virgilii dictionem versuumque numerum suavissimum imitarer, ac quasi meam ad rem non invite transferrem. Hoc et in Homeri *Odyssea* conatus sum facere, et in iis carminibus, quae de Echo navique aëria adolescens scripsi, iudicioque non meo, sed virorum doctissimorum sum confirmatus, mei non me debere laboris poenitere; hoc etiam in ipsius Hesiodi operibus vertendis me nunc effecisse puto, speroque futurum, ut aequi iudices, quorum in manus hi mei studiorum

industriaeque fructus pervenerint, idem mecum iuxta fateantur. Iam vero nihil me attinet dicere, quam in tanta de optimo genere iudiciorum varietate sequutus sum interpretandi rationem, quum hac de re et alii multi luculenter loquuti sint, et ego in praelectione ad Homeri *Odysseam* satis disseruerim: eam facto potius, quam verbis cupio omnibus ostendere. Quae si tibi, erudite Lector, placebit, iudicium a te meum probari, vehementer gaudebo: sin autem non omnino placebit, illud a te petam, ut dum habeas meliora vel a me ipso, vel potius ab aliis et otio et ingenio et elegantia abundantioribus, hisce patienter utare, iisdemque qualiacumque sunt, contentus fruare. Heic autem, postquam duas exhibuero Elegias, quae in priori editione leguntur datae ad Iosephum Spergesium virum nobilem multisque literis perpolitum, quarum una eidem opus dedicavi, altera luctuosissimam acerbissimamque M. Theresiae Imper. semper Augustae mortem, quae tum acciderat, deflevi, iampridem a Dan. Heinsio exaratum atque huic poëmati praepositum, quo difficile erat quidquam distinctius pressiusque conscribere, argumentum tibi subiiciam, ut uno ferme intuitu, quid Hesiodi *Opera ac Dies* contineant doceantque, videre possis et iudicare.

IOSEPHO SPERGESIO
PALENTIAE BAR.
EQV. S. STEPH. HVNGAR. R.
AVG. A CONSILIIS IN AVLA VIENN.
PRO REBVS ITALIAE

ELEGIA.

Hellada iam linquens romano indutus amictu
   Nympharum ille ingens cura Heliconiadum,
Cui niveos quondam pascenti in collibus agnos
   E viridi lauro sceptra tulere deae,
Labraque Hyantaei sparserunt fluminis haustu,
   Vt liquido flueret dulcis ab ore sonus,
Antiquumque Chaos, magnorum et nomina divum
   Diceret, et veterum saecula terrigenum;
En tibi se vates, Spergesi candide, sistit
   Ipsarum missus Pieridum monitu.
Namque ego laurigero musas in monte petivi,
   Pro officiis aliquod munus ut innumeris
Mi placidae innuerent, quo tu laetatus adepto
   Laudares memoris pignus amicitiae.
Diis placuit mens grata: haud irrita vota fuere,
   Orantem at fidis auribus audierunt,

Ascraeique senis iusserunt carmina divae
  Graia per Ausonios ferre novata choros,
Iustitiam queis ipse docet, morumque pudorem,
  Quantaque proveniunt parta labore bona:
Sidere quo melius pingues invertere glebas,
  Seminaque inverso tradere sparsa solo?
Quo freta non metuit cupidus mercator adire,
  Ac vehere externo litore divitias,
Pacis opus, magnos vitae mortalis in usus
  Concessum a sancto numine caelicolum.
Ipse etiam Clypei referet mirabile textum,
  Quod tenuit virtus Amphitryoniadae,
Quum nemore in sacro Phoebi Pagasaea per arva
  Cycnum alto stravit vulnere Martigenam.
Tu dextram nunc tende seni, firmaque coactum
  Te coram insueto fundere verba sono,
Illa vetus clarat latiae quem gloria linguae
  Aurea, Iulaeis aemula temporibus,
Pura tibi quae sponte fluit: ceu rivus ad ipsum
  Quum fontem illimi prosilit e scatebra,
Pellucetque vitro similis nitidoque electro
  Formosis clarum Naiasin in speculum.
An miserum eiicies, mutato gutturis usu
  Si male quod verbum dixerit asperius,
Nil patiens perferre, tuis nisi sensibus aptum?
  Atqui nec talem fama mihi retulit,
Nec te ego sum toties expertus. quin mage leni
  Quemnam finxerunt ingenio Charites,

Et mage certantem sibi lectos iungere amicos,
Servare et iunctos omnibus illecebris?
Tu mihi magnanimae reserasti limina Matris
Nullis florenti laudibus aut meritis;
Tu dignum Augustae fecisti munere dextrae,
Quum primum nostro nomine Moeoniden
Illi offerre ausus de me es bene multa loquutus,
Queis spes affulsit certa patrocinii
Nec sterilis nec parva: a te sunt omnia primo
Commoda, sunt nobis omnia nata bona;
Et venient maiora, animum ni lusit Apollo
Saepe mihi de te grandia pollicitus.
Quamquam ego quid cupiam maius? non divitis auri
Me sitis, aut agitans excitat ambitio.
Talia, quos ridens tollit fortuna, sequantur;
Non ego, qui didici parcus amare modum,
Virtutique magis, caecae quam fidere divae,
Quae levis assiduas versat agitque vices.
Mi sat erit, liceat si quando carmine digno
Ingens Austriadum tollere ad astra decus,
Matris et Augustae magnum vulgare per orbem
Largificum et nullis casibus edomitum
Illum animum, late quo splendet ut aetherius sol
Spicula virtutis clara procul iaciens
Omnigenae, oceani trans vasti litora ad usque
Terrarum extremos parte ab utraque polos.
Caesaris huic magni certabo adiungere nomen,
Cuius facta olim ferre per ora virum,

Seu pacem, seu bella gerat, fama ipsa negabit
   Lassato alarum posse ministerio;
Atque alias centum linguas, alia ora reposcet,
   Voto queis valeat fida satisfacere.
Addam illi socium, cui nuper ab aethere lapsa
   Relligio sacro cinxit honore caput,
Imperiumque dedit duplex, quo sceptra potenti
   Iustitia ac divum credita templa regat
Idem regnator populorum, idemque sacerdos,
   Idem Teutonicorum inclyta fama equitum.
Addam alios fratres, quorum iam munere tellus
   Itala cum magno foenore laeta videt
Surgere Atestinos et Mediceos heroas
   Caesareis mixtos sanguine connubiis.
Danubium ad vestrum rumor feret, aurea late
   Tempora Saturni nostra per arva patris
Fulgere, et Insubrum campis florescere Athenas
   Omnibus eximias artibus et studiis.
Gaudebit tuus ille heros Chaunitius, Atlas
   Qui catus Austriacum sustinet imperium;
Tuque idem gaudebis, amor quem Palladis almae
   Cultorem doctis coetibus adnumerat,
Quemque Italae commissa rei tam cura fatigat
   Vsque nova ingeniis addere subsidia.
Iamque omnes duce tanto agitat vigor, omnibus urit
   Gloria honoratis corda cupidinibus
Ex humili tellure alto consurgere caelo
   Laude aliqua, ut de se fama loquatur anus.

Hoc etiam quod prodit opus nunc cumque, pusillum
Sit licet, et foeda barbarie horridulum,
Auspiciis hoc nempe tuis et nomine tutum
Num metuat doctos tendere per populos?
Non, ita me servent musae, timet. ergo age segnem
Rumpe moram, i fidens culta per ora, liber.
Nam tibi si laudem Spergesius annuat ullam,
Sic quoque mutata veste legere diu.
Annuet. illum autem quem tu bone cumque probaris,
Et Charites vatem Castalidesque probant.
Sic tibi et Hesiodus vivet donatus, et una
Vives, Spergesi, cultus honore mihi;
Nullaque me seclis obliviscentibus aetas,
Spero equidem, ingrata mente fuisse feret.

EIDEM ALTERA.

Haec tibi, Spergesi, dum Graium dona parabam,
Optabamque tuum ferre per ora decus,
Heu quantus trepido fundit se luctus ab Istro,
Omnia quo late personuere loca,
Singultusque inter vox haec sonat omnibus una:
O faciles nobis demite caelicolae
Demite vos vitam nobis; at reddite matrem,
Reddite Caesareis dulce decus laribus,
Reddite solamenque inopum, columenque senectae,
Iucundum cunctis reddite praesidium.

Irrita sed fuerunt populorum vota, nec ullas
   Audivere polo numina magna preces.
Occidit heu meritis et fama maxima regum,
   Occidit a patriis edita Caesaribus
Austrias illa potens pietate et grandibus orsis,
   Quidquid virtutum, quidquid honoris erat,
Vna in se capiens; qua nil spectabat Olympo,
   Seu ferret Phoebus, sive referret equos,
Maius ad occasum rosco sublimis ab ortu
   Per varia omnigenum dissita regna virum.
Flerunt Sequanicae sedes, et Tescheniae arces,
   Flevit Parma dolens, moestaque Parthenope,
Et natas doluere suas, quas plaudere matri
   Cernebant, contra ferre modo inferias,
Atratas, tremulisque ululatibus externatas,
   Ac sparsas largis fletibus ora, vident.
Heu genus, heu benefacta! hanc tu mors invida terris,
   Quae fuit aeternum vivere digna, rapis?
Nec puduit laesisse sacrum caput? heu quot in uno
   Funere crudelis Persephone eripuit?
Eripuit certe multos, illa omnibus aequam
   Quum matrem populis barbara surripuit.
Quid mihi cum lauro? laurum iam ponit et ipse
   Caesar, cumque piis fratribus imbre madet.
Et suaves cantus, et fila sonantia, musae,
   Indicia et laeti mittite nunc animi;
Solvite taeniolas, ac tristi tempora fronde
   Cingite, dum tantas flemus ad exsequias.

Lux fugiat, lux ipsa polo tenebrosa minetur
Exitium, ac terras umbra maligna tegat,
Si iura ingratae rapiunt iam ferrea mortis,
Quae secli longum spes melioris erat,
Cedentem a nobis. cessit, devictaque morbo
Marmoreo posuit frigida membra toro
Regnatrix populorum ingens, quos ipsa beatos
Fecerat aequatis legibus imperitans,
Nec terrore ullo, sed dulci matris amore
Cunctorum in se animos verterat atque oculos
Aurea per terras spargens late undique iura.
Quid faciles aditus, mollia quid memorem
Pectora, et assuetos precibus mitescere sensus,
Sparsaque largifica munera magna manu?
Scilicet id propter solita est gaudere, quod esset
In magno reliquis ditior imperio,
Divitiis large ut multos attollere quiret,
Et duram a miseris pellere pauperiem
Non sibi sed populis dives. velut igneus ardor
Solis, ab immensa lampade qui radios,
Qua se cumque undis tollunt fluitantibus arva,
Fundit, et irriguo promovet igne sata
Insinuans frugum genus omne, et mollibus auris
Semina permixtus viva tumefaciens.
Testes Vindelicique, et curvo Pannones ense,
Atque Bohemorum moenia magnanimum,
Testes et Belgae, Dacique, et fida Liburnum
Litora, et Insubri gens opulenta soli,

Ah quoties dextram magnae sensere parentis
Nullis parcentem sumptibus atque opibus,
Si quando aut bellum populos exciret ad arma,
Aut fallax Cereris dona negaret ager,
Non doluit quisquam, quin illius acta dolore
Ipsa pio teneras spargeret imbre genas;
Nec quisquam optata votorum est sorte potitus,
Gaudia materno pectore quin caperet,
Adversaeque comes fortunae unaque faventis
Assuerat prae se ferre vices populi.
Haec mage Moeonidae cantu, quam fortis Achilles,
Digna, haec Aeneae sunt pietate prius.
Felix o nimium felix, quam vincere nulla
Fraus valuit tanto in culmine compositam,
Transversamve egit sceptra inter gemmea fastus
A recto diae tramite iustitiae,
Quam sibi proposuit comitem, qua praemia, et ipsis
Sueta dare est poenas provida criminibus.
Illa quidem magnas inter numerabitur usque
Heroinas, quot secla tulere; sed ô
Vindobona infelix, quo nunc tua gloria cessit,
Quam dominae in vita dulcis alebat amor?
Moesta iaces, tristi perculsa a turbine luctus,
Ceu qui fulmineo tactus ab igne stupet.
Quid tamen et quereris? mortali an semine quidquam
Progenitum dirum fugerit interitum?
An virtus non astra petat? sunt praemia caelo;
Virtuti haud tellus apta sat ista fuit.

Sceptra diu gessit mortalia, contulit arma,
Stravit et adversos Marte frementе duces,
Vtque minae cessere, Aquilas victricia signa
In tacita iussit degere clausa domo,
Obruta nec misera, nec sorte elata secunda,
Vinceret, aut contra cederet, impavida.
Ingeniis patefecit iter, promovit et artes,
Excoluit magni templa verenda dei;
Imperii fines provexit, et aurea mundum
Quae teneant, mater germina multa dedit,
Virtutisque viam sua per vestigia vidit
Carpere non usquam deficiente pede.
Vidit et ingenuos, duce se, florescere mores
Tartareum pulsis in barathrum vitiis,
Et late gentes optata in pace reliquit
Caraque longinquis caraque finitimis.
Ergo abiit matura polo, subvectaque caeli
Vertice sidereas visere gaudet opes,
Quas nec bella agitant discordibus impia telis,
Nec fraudum, aut scelerum turbat acerba cohors;
Sed stabiles sine fine manent, lucisque beatae
Vsque novo affusae flumine dulce vigent.
Illic plena deo, caelestique addita coetu
Potat inexstinctae gaudia laetitiae.
Nomen at in terris venienti clarius aevo
Florescet fama nil metuente mori;
Quin etiam ante alios in magno Caesare vivet,
Cui spes, cui tota est nostra relicta salus.

ARGUMENTUM
IN HESIODI OPERA ET DIES
A DANIELE HEINSIO
GRAECE CONSCRIPTUM
ET POSTEA LATINE REDDITUM IN EDITIONE GRAEVIANA.

Facto a contentionum divisione initio, Poëta alteram quam esse reprehensione dignam et vituperio ostendit, reiicit; alteram vero ut rebus praeferat omnibus, fratrem suum Persen monet: quod altera in fori molestiis omne fere tempus ponit; altera autem quae honesta est et bona, solo labore cum iustitia, quae ad vitam requiruntur, sibi comparat. Postquam enim mentis, ut Poëta loquitur, vaferrimae (1) *Prometheus, Iovi ignem, hoc est, vitae abundantiam (sicut huc alludens ait alibi divinus Plato) furtim surripuisset, Iupiter hominibus quos industrios vocat ac solertes, hoc est de comparandis facultatibus sollicitis, malum magnum, Pandoram*

(1) Quae heic Heinsius de Promethei, Iovis, ac potissimum Pandorae allegorica interpretatione habet, fusius explicat in Introductione in doctrinam, quae libris Hesiodi ΕΡΓΩΝ *καὶ* ΗΜΕΡΩΝ continetur. Sed Lector per se animadvertet, eum ingenio magis, quam veritati indulsisse, fortunamque illam suam non esse admodum fortunatam.

nempe, hoc est Fortunam, quae omnia deorum dona, id est beneficia naturae, sibi vindicare coepit, in medium produxit. Ita tota vitae comparandae ratio, Fortunae est commissa: prudentiae autem hominum ac curae ea sibi comparare coepit esse difficillimum. Olim ergo ante vafrum hoc Promethei factum, omnia, quae ad vivendum erant necessaria, facile comparabantur et ad manus erant. Saturnus enim primum omnium genus quoddam aureum fabricabat hominum, cui sua sponte omnia suppeditabat terra. Hoc genus leni ac iucunda morte, quum hac vita defungeretur, vitam daemonum et nomen post obitum consequebatur. Hoc autem alterum est sequutum, quod argenteum dixerunt: quod ut aureo in omnibus deterius, ita purius fuit quam sequentia. Iupiter ergo, hoc est, Fatum, etiam hoc genus aufert: quod defunctum, vitam eorum ducit, quos Beatos subterrestres vocat. Ita ad tertium, aëreum nimirum transit, quod scelestum esse et impetuosum docet, qui quidem homines caede mutua et imprudentia cecidere: caeterum nec nomen, nec ut alii certam vivendi post obitum consequuti sunt rationem, ut qui funditus exstincti ad inferos descenderent. Hoc tertium iam genus, Heroës sequuntur (ita tum

Eteoclem ac Polynicem, reliquosque qui primum et antiquissimum Thebanum bellum, tum Agamemnona et Menelaum, reliquosque qui Troianum bellum constituerunt, vocat) quos Homerus describit. Quorum alii morte sublati, penitus interierunt; alii eorum etiam nunc Beatorum insulas colunt. Hinc ferreum eiusque iniustitiam describere pergit: maxime autem tangit iudices, quorum brevi ac venusta fabella corruptelas taxat. Reliqua pars libri, iustitiae ac iniustitiae praemia ob oculos ponit, tum et monita quaedam sapientissima Persae proponit. Maxima ex parte autem ratio scribendi, quae praecepta continet, parum inter se cohaeret, ita, ut soluta quasi et nihil minus quam adstricta sit oratio. Quae subinde quoque antiquitatem spirat, et non semel idem repetit; prorsusque a scribendi ratione, qua recentiores sunt usi, qui nudas orationi sententias inserunt, abhorret. Non raro et digreditur; ut videlicet taedium fratris, quod ex admonitionibus haurire ac praeceptis poterat, dilueret. Post haec ad Oeconomicam transit, cuius rationem, initio ab agricultura facto, praescribit. Tota autem haec doctrina, in describendo tempore ad arandum idoneo, tum delineando messis et vindemiae, et se-

rendi, secandique ligni tempore versatur. Praeter haec, tum eorum quae recte ac ordine geruntur, successum et exitum, tum eorum quae negliguntur, damna ac noxas ostendit. Huc accedunt, tempestatum anni distinctiones, tum quibus quaeque rebus sit idonea, usque ad viginti et octo aut triginta et quatuor fere versus. Atque hactenus quidem prima Oeconomiae pars. Caeterum quum homines, partim temporis progressu, partim acriore lucri desiderio, non unum tantum aliquem lucrandi modum amplecterentur, verum omnia, quaecumque modo lucrum aliquod promitterent, adorirentur, alteram Oeconomiae aggreditur partem: qua occasione de natura ac ratione maris loquitur. Ita enim tempus ad navigandum maxime idoneum, videtur vocare. Post haec rursus in praeceptis desinit. Quum autem de debita diis reverentia inter alia loquatur, divisionem eius subiungit; et quum initium a genere, hoc est, deorum veneratione fecisset; ad singula, hoc est, eius species pergit. Atque ita quidem totum Operum ac Dierum *argumentum absolvitur. Quod autem est reliquum, de bonorum, ac malorum, tum vero mediocrium dierum observatione agit: tum qui eligendi, qui reiiciendi sint, breviter praecipit.*

HESIODI

ASCRAEI

OPERA AC DIES.

Musae, clarisonae cantu, properate relicta
Pieria, laudemque patri iam dicite vestro;
Per quem mortales obscura in nocte silentur,
Et volitant clari fama, generosaque iactant
Facta, vel indecores ullo sine nomine vivunt,
Ipsius annuerit ceu mens et dia voluntas.
Nam facile extollit depressum, et deprimit idem
Elatum, ditatque inopem, ditemque fatigat;

Vers. 1 *Musae, clarisonae* etc. Multi omni tempore dubitarunt, utrum Hesiodi esset hoc exordium: nam et Aristarchus et Plutarchus et Pausanias aliique scriptores decem priores versus in vetustissimo codice deesse affirmant. Accedit etiam, Rhapsodos alienis poëmatibus adsuere consuevisse prooemia; quod et Pindarus docuit Od. II Nem. Quid igitur? Dicemusne poëtam a duplici contentionum genere sine ullo exordio, contra quam fit plerumque a graecis etiam in minimis poëmatibus, carmen esse auspicatum? Mihi sane id vehementer incredibile videtur.

3 *Per quem mortales* etc. Potestas supremi numinis egregie per has hominum fortunae vicissitudines declaratur; quemadmodum saepe factum in sacris etiam paginis legimus. Mitto illa Horatii: *Valet ima summis mutare*.

Erigit et curvum facile, curvatque superbum
Iupiter altisono residens in vertice Olympi.
Audi o cuncta videns, cuncta et pater optime noscens
Vota hominum, sanctoque tuens tu numine iura
Dirige, ego fratrem dum Persen vera monebo.
Non unum in terris litis genus, una nec acris
Pugna animi, sed enim duplex est: altera laude,
Altera digna probris, hominumque ardentia corda
Vtraque diversis certatim viribus urget.
Haec etenim bellumque malum et feralia caedis
Damna fovet crudelis: eam non ullus amore
Dignatur, certa sed tantum lege coacti
Vi superum tristemque colunt nocuamque verentur.
Nocte nigra prior illa sata est, quam summus in alta

---

12 . . . . *sanctoque tuens* etc. Vt a iudicibus serventur iura, recte quidem poëta a Iove postulat, non enim id in poëtae potestate: quod ad ipsum attinet, est veritatem dicere, idque se facturum pollicetur fratrem exhortans ad eamdem amplectendam. Ceterum scio adversari hanc interpretationem Danieli Heinsio, cui, re melius expensa, etiam Graevius assentitur; mihi tamen communior placet sententia.

14 *Non unum* etc. Duo contentionum genera esse docet poëta, quorum alterum dignum etiam sapientis laude, alterum vero vituperandum. Primum homines ad honestam aemulationem excitat, torporemque luem animorum acerbissimam excutit; secundum malam quamdam in nobis invidentiam creat, aliorumque inimicos nos facit, non ut eodem modo nobis sit bene, sed iis ut male sit, contra excitans. Duo exempla afferuntur: primum ad bonam contentionem referendum; alterum ad pravam videtur.

Arce sedens divum genitor mortalibus ima
In tellure dedit meliorem. quippe morantes
Increpat, ac stimulis animos exercet inertes
Ad studia exacuens. molli qui lentus in umbra
Assidet, alterius magnos si vidit acervos,
Ipse serens curansque domum subigensque novale
Continuo paribus studiis ardescit, et intus
Aestuat. urit enim properans vicinus ad almas
Divitias vicinum inopem: data munere divum
Haec hominum generi cura est. nocet altera, et illa
Fictor fictori, fabro faber aemulus artis
Invidet, et vati vates, et egenus egeno.
  Omnia quae penitus tu, Persa, in pectore condens
Triste genus dirae litis fuge; neve labore
A dulci patiare tuam divertere mentem
Clamosoque foro caussisque intentus agendis.
Nam quid vana fori iuvat illum cura, reposti
Cui non multa domi stat in annum copia victus,
Quem facili magnae Cereris fert munere tellus,

---

36 *Triste genus* etc. Reiecta mala contentione, primum, veluti quoddam totius oeconomiae fundamentum, poëta heic laborem fratri commendat, quo maxime inopia sublevatur; eumque ab inani rerum forensium cura avocat. Ex quo loco apparet, Persam fuisse plus iusto litium amantem, vatique hac de caussa plurimas attulisse molestias, quod semper aliquid, tamquam ab haereditate patria sibi debitum, malis artibus iudices ambiendo, exposceret. Quolibet tempore rara fuit concordia fratrum, ut ad aliam rem Ovidius animadvertit.

Quoque satur litesque seras, alienaque captes
Rixando bona quaeque? at non et deinde licebit
Sic facere: irarum caussas abrumpere praestat
Iudiciis, quae recta Iovis probat ipsa voluntas.
Iam patrios census divisimus: ipse tulisti
Praeterea rapiens tibi multa, invertere hiantum
Muneribus largis aggressus pectora regum,
Nos inter voluere ortam qui cernere litem:
Dementes, neque enim quanto magis utile toto

---

47 *Praeterea rapiens* etc. An credendum poëtae? Quidni; generi hominum videlicet minime mendaci; Hesiodo in primis, qui alio dicit in loco, se a Musis didicisse multa loqui et vera et falsa.

— . . . . . *invertere hiantum* etc. Apud graecos poëtas Βασίλεις non semper est proprie rex: habemus enim eodem in regno plures aliquando huiusmodi reges, quos iudices melius aut senatores dicas quam reges, quales ii, quos apud Phaeaces Homerus extitisse memorat. *Δωροφάγοι* vero ab Hesiodo appellantur, quod et publice mercedis loco dona exigebant, et privatim a litigantibus avidius accipiebant. Iustitiae maxime contraria auri sacra fames, a qua longissime tota forensis natio abesse debet, ne mala fama laboret.

50 . . . . *quanto magis utile* etc. Plato lib. v *De Rep.* hoc praeceptum avidioribus magistratibus ingessit, ut eos coërceret, et lib. IV *De Leg.* idem agens de regibus Argivorum et Messeniorum, qui rapacitate se et universam Graeciam pessum dederant, addit: numquid illud ideo accidit, quod ignorarent, Hesiodum rectissime dicere, dimidium toto saepe praestare? quandoquidem damnosum est rem totam accipere, dimidium tantum accipere moderatum est, moderatum vero immodico et immoderato, tamquam potius

Dimidium, quantumque boni malvaeque salubres
Asphodelusque ferat, novere: ita numina veras
Divitias vitae occulerunt mortalibus aegris.

---

peiori, antecellit etc. Quare recte Clericus hunc locum explicans: nesciunt, inquit, satius esse iis exiguo lucro et tenui victu esse contentos, adeoque leviora munera exigere a civibus, quam dum nimium lucrum concupiscunt lautiusque aequo vivunt, bonis omnibus cives spoliare: primum quia pauca exigentes et modeste viventes amorem sibi civium conciliant, quum odio sint secus agentes; deinde quia ex non exhaustis civibus, nimia et subita rapacitate, lapsu temporis alia dona accipere possunt, quae a penitus spoliatis non amplius dantur. Haec Clericus, eademque confirmat exemplo Ciceronis desumpto e Verr. III quod vide apud Graevium.

51 . . . . . *malvaeque salubres* etc. In malva et asphodelo vitae simplicitas a poëta commendatur. Ita et Horatius, quum exquisitas aliorum epulas luxumque descripsisset: Me, inquit, pascunt olivae, me cichorea levesque malvae. Homerus autem mortuis *ἀσφοδελὸν λειμῶνα* tribuit, quod victu in Elisiis simplicissimo vivant, idest facillimam quamdam vitae rationem nacti sint, ut ait Heinsius, multaque addit ingeniose potius quam vere. Vide quae Clericus senserit Plutarchi usus testimonio in *Convivio septem Sapient.*, ubi ille, postquam dixit bonam esse ad edendum malvam et scapum asphodeli, et versum Hesiodi protulit, statim subiicit: existimas vero tale quid Hesiodo in mentem venisse, ac non potius eum, ut est assiduus parsimoniae laudator, ad cibos vilissimos nos, quippe dulcissimi qui sint, voluisse adhortari?

53 *Divitias vitae* etc. Auream nempe illam Horatii Flacci mediocritatem, et simplicem vivendi modum dii ab hominibus abstulerunt.

Nonne manus operi admoveas si luce vel una,
Copia sufficeret lauto tibi dives in annum
Suspenso ad fumum temone, boumque labore
Mulorumque simul posito? sed enim Iovis ira
Perdidit has curas, illum quum fraude Prometheus
Decepit quondam. subito actus corda furore

55 . . . . . *in annum* etc. Apud Graecos venustissime divites ὁι ἐις ἐνιαυτόν ἔχοντες dicuntur, et pauperes ὁι ἐις ἡμέραν. Hoc autem in loco monet poeta, fieri posse, ut quis vel ex unius diei labore, vel piscando vel aliter industriam exercendo, lucri tantum referat, quantum sit otioso satis in annum integrum.

58 *Perdidit has curas*, etc. Iupiter hominum generi iratus ob scelus Promethei utilissimum laboris hunc amorem ex eorum mente abolevit, insevitque luxum ceteraque vitia, de quibus inferius, ubi de expeditione Pandorae.

— . . . . . . *fraude Prometheus* etc. Promethei seu fabula seu allegoria notissima. Samuel autem Bochartus ait, nomen verum Promethei fuisse Magog; quia 1.° ut Iapheti filius Magog, ita Iapeti Prometheus; 2.° Caucaso Prometheus affixus fuisse fingitur, quod vel ipse, vel gens Scytharum ab ipso oriunda Caucasum incoluit; 3.° dicitur ignem e caelo detulisse, quia, metallis circa illum montem effossis, artem metalla igne excoquendi illic aut invenit aut restituit. Confirmat haec ex Aeschylo et ex ipsa nominis *magog* hebraica significatione nimirum *moug* vel *magag*, quod est liquefieri, contabescere etc. Itaque si haec vera sunt, Epimetheus erit Gog, ut recte animadvertit Clericus; vel si mavis allegorice, erit pars inferior cupiditatum, id est, vis animi humani inconsulta et praeceps, quae non obsequitur aliquando parti superiori meliorique mentis et rationis sub Promethei nomine designatae.

Tristia terrigenis pro crimine damna paravit,
Absconditque ignem: nostros quem rursus ad usus
Audax Iapeti proles subduxit ab arce
Aetheria in ferula servans, fallensque Tonantem
Fulmine gaudentem saevaque ita voce loquutum.
Iapetionide, longe magis omnibus astu
Heu vafer! audaci nequidquam fraude superbis,
Ac vetitum gaudes ignem furatus. id ipsi
Quippe erit exitioque tibi sobolique nepotum,
Pro rapto queis igne dabo mala, scilicet omnes
Vt laeti exultent animo sua damna sequentes.
Sic fatus risit divum pater atque hominum rex,

---

69 . . . . . *scilicet omnes* etc. Magnum quidem supplicium, ut quis putet se tum gaudere maxime, quum prudens et sciens, quemadmodum loquitur M. Tullius, in exitium ruit voluntarium.

70 . . . . . *sua damna sequentes*. etc. Pandoram videlicet, quae quid sit, immo potius quid cuique esse videatur, lege inter se dissidentes digladiantesque tum veteres tum recentiores interpretes. Sua sit Heinsio fortuna, sua singulis monstra: mihi non aliud Pandora nisi amor immoderatus mulierum seu ipsa muliebris luxuries, qua homines in perniciem ruunt, ut videre est in Hesiodi *Theogon.* v. 590 etc.

71 *Sic fatus risit* etc. Indignantis etiam est ridere, si sciat facile se ulcisci posse. Ita Homerus, Virgilius, aliique poëtae saepissime. Sequitur vero elegans Pandorae descriptio, ubi Vulcano cura datur effingendi e limo corpus formosissimae virginis, vocemque animumque infundendi; Palladi eamdem artibus femineis excolendi; Veneri plenam venustatis reddendi, eamdemque tum in corporis cultu im-

Vulcanumque haustos telluri infundere iussit
Continuo rores, immixtaeque indere vocem,
Vimque hominis; pulchro tum divas ore referre
Virgineae eximium formae decus. addere et ipsam
Femineas artes praestantem Pallada iussit,
Docta quibus sciret tenues bene texere telas,
Et Venerem capiti formosum affundere lumen,
Ornandique artus curam atque ardentia vota;
Cumque his Mercurium fallaces fingere mores,
Expertemque pudore animum. sic iussit: at illi
Dicta Iovis celerant subito, et mandata facessunt.
  Iam clarus roseos e limo virginis artus
Mulciber effinxit; dea iam Tritonia zona
Induit ornatam: Charites venerandaque Suada
Aurea per collum cinxere monilia, et Horae
Pulchricomae e verno contextam flore corollam:

---

modico, tum in animi motibus ardentiorem efficiendi; Mercurio demum, ut est effrons ac deorum vaferrimus, cura datur astu impudentiaque Pandoram imbuendi. Ad quae omnia quum etiam Gratiae eademque Suada suas contulerunt illecebras, dolendum potius quam mirandum, ab huiusmodi monstro deceptum fuisse Epimetheum, a quo vel prudentissimi homines decipi potuerunt, quotidieque capiuntur. Videsis etiam M. Garbitii explicationem allegoricam huius fabulae in adnot. ad verbum Ἥφαιστον pag. 102 editionis Hesiodi Patavinae: quae tota fere in eo est, ut ostendat hominis fuisse primum puriorem naturam; deinde lascivia mentis abusam ingenio et cognitionis vi degenerasse quodammodo ab illa veteri simplicitate, seseque effudisse ad rerum etiam noxiarum inventionem etc.

Cuncta videt, manibusque suis dea caesia tractat.
Iamque Argi domitor mendacia pectore condit,
Infidosque animi sensus et mollia dicta
Consilio parens Iovis alti, idemque dat olli
Ore sonum, proprioque vocat de nomine monstrum
Pandoram, quod quisque deum sua dona puellae
Contulit, heu miseris damnum mortalibus ingens.
Hinc postquam absolvit proles Saturnia fraudis
Exitiale malum, celeres iubet ire per auras
Mercurium, donumque Epimetheo tradere. at ille
Immemor heu, quondam dederat quae iussa Prometheus,
Ne qua sibi a supero capiat Iove munera missa,
Sed potius retro, fuerint quaecumque, remittat
Perniciem terris arcens: prius aspera sensit,
Quam potuit solvi monitus, iam peste recepta.
Namque olim in terris vitam mortalia secla
Degebant facilem tranquilla per otia longe
A curis morbisque feris duroque labore,
Queis domiti languent homines metamque senectae
Ocyus attingunt miseri, quam tempora poscant.
At manibus virgo plenae postquam ora resolvit

---

103 *Namque olim* etc. Nimirum priusquam sese homines effroenato mulierum amori dederent, meretriciamque vitam decepti amplecterentur. Nil aliud certe superiora significare videntur: nam suspicari, Hesiodum viros heic mulieribus antiquiores voluisse fingere, plane desipere est. Quis autem dubitet, hinc mala vel maxima in hominum vitam derivari potuisse?

Pyxidis, exitium sparsit. spes una relicta
Delituit fundo, sedemque immota priorem
Servavit nusquam fugiens per inania pennis.
Ostia quippe prius clausit sic iussa Tonantis
Imperio insidians virgo. mala cetera sese
Effudere, interque homines errantia gliscunt,
Terrarumque sinus implent pelagusque profundum
Nec facie simili nec vi; noctuque diuque
Pallida morborum volitant nos agmina circum,
Incumbuntque caput supra sine murmure. vocem
Scilicet exemit tacitis Saturnia proles,
Ipsius a certa ne quis foret exitus ira.
  Possum etiam nunc rite alia admiranda referre,
Ni refugis: tu dicta tua sub mente repone.
Vt simul exorti dii sunt hominesque caduci,

---

109 . . . . . *spes una relicta* etc. Ideo fortasse, ut vel esset aliquo in malis levamento, vel eadem freti homines facilius darent se vitiis: magna enim et malorum medela et vitiorum illecebra spes est. Illud Lini, apud Iamblichum de Vita Pythagorae, notum:

Ἔλπεσθαι χρὴ πάντ', ἐπεὶ οὐκ ἔστ' οὐδὲν ἀέλπτον etc.
„ Omnia fas sperare; haud insperabile quidquam est.

113 . . . . . *mala cetera sese* etc. Hinc illa Horatii: *post ignem aetheria domo subductum macies et nova febrium terris incubuit cohors* etc.

123 *Vt simul exorti* etc. Non supremum quidem numen illud, quod et primum et aeternum et potentissimum extitisse ante omnem rerum naturam veteres multi et philosophi et poëtae fatebantur; sed illa incredibilis deorum turba, qua caelum, graeci potissimum, impleverunt.

Aurea prima virum gens est sata munere magno
Caelicolum, quum regna polo Saturnus haberet,
Vivebantque deum vitam, nullumque laborem,
Aerumnasque graves laeta inter gaudia mentis
Noscebant. non ulla aderat vis dura senectae,
Sed pedibus semper similes manibusque vigentes
Vna epulas passim viridanti in gramine strati
Inter se laeti curabant; turbine ab omni,
Curarumque aestu secreti, disque beatis
Dilecti semper crescentia poma videbant
Arboribus pendere suis victumque parare.
Nec minus et domiti placido ceu lumina somno
Linquebant dulces animas, et fata subibant
Omnigenum post ditis opum longissima vitae
Gaudia. nam tellus ullo sine semine foetus
Sponte sua foecunda prius dabat ubere gleba
Per campos vallesque cavas; ipsique volentes
In commune ultro certabant parta referre
Vnanimes, partisque frui cum pace potiti.

---

124 *Aurea prima* etc. Haec illa aetatum variarum enumeratio, de quibus interpretes antiqui recentesque tot tantaque commenti sunt. Otio abuterer, si quid adderem. Hesiodus incipit ab aurea aetate: qui homines in hac vixerunt, post mortem dii facti sunt aut quidam benefici genii, illisque cura demandata homines custodiendi, iudiciisque praesidendi, quod regium est. Quid vero de illa aetatum divisione, quae fertur et a Sybilla facta, dicendum? Quaecumque ea sit, nihil profecto habet commune cum hac hesiodia. Vide Fabricium in *Graec. Bibl.* lib. I cap. 30.

Postquam autem nigra genus hoc caligine tellus
Occuluit, magnus mutato corpore eosdem
Iupiter esse deos voluit, terramque benignos
Incolere, atque hominum mortalia facta tueri.
Hinc passim volitant omnes denso aëre septi,
Iustitiamque nefasque vident, et praemia didunt
Magnorum late sortiti munera regum.
Altera caelicolis sata gens argentea, multo
Deterior prima, nec vi nec laudibus olli
Ingenii similis, nomen quae traxit ab auro.
Tardus apud matrem centum puer inscius annos
Crescebat, patriosque colens sine honore penates
Indigus auxilii reptabat. mox ubi flavas
Sparserat enata circum lanugine malas,
Exigui fuerat brevis illum terminus aevi
Excipere assiduo confossum corda dolore

150 *Altera caelicolis* etc. Sequitur aetas argentea, de qua multa obscure interpretes Hesiodi. Illud certe peculiare: *tardus apud matrem* etc. Quid hoc monstri? An diutius apud matrem velut in quadam morum custodia pueri detinebantur, ut serius ad vitia prolaberentur, quemadmodum contendit Heinsius? an potius quod ob ingenii stupiditatem, quamvis aetate iam grandes, nihilominus pueri tunc homines videri possent? Haec mihi verisimilior videtur explicatio, quum praesertim et in proverbium abierit *Puer centum annorum* de homine dici solitum, qui tardius consilii maturitatem est assequutus. Ceterum huius etiam aetatis homines post mortem etsi secundum, tamen sunt aliquem honorem nacti. Ex his maleficos quosdam genios suspicor factos, quibus, ne nocerent, litabatur.

Ob scelera. haud etenim violento a crimine quibant
Alternas prohibere manus: non magna vereri
Numina, non aris imponere sacra volebant,
Certa hominum ceu iura petunt. mox Iupiter illos,
Ingrati superos nullo quod honore colebant,
Perdidit iratus, tenebris et pressit opacis.
Nec tamen omnino genus hoc evanuit: ima
In terra posuitque domos dicique beatum
Promeruit: debetur honos huic nempe secundus.
Tertia magnanimi nutu Iovis aenea venit
Gens hominum, argento absimilis: de robore creta
Fraxineo, indomita, et violenta. olli horrida cordi
Praelia, Martis opus; cladesque, iniustaque facta
Semper erant. Cereris spernebant mitia dona,
Atque adamante animos duro sub corde fovebant
Informes. vis magna, infractaque brachia firmis
Ex humeris enata armabant fortia membra.
Arma illis ex aere, domus ex aere rigebant,
Vertebant atque aere solum: nam viscera terrae
Scrutando nondum vim ferri invenerat usus.
Dein manibus domitique suis, alternaque passi
Vulnera nigrantes Erebi subiere latebras,
Horribilemque domum Ditis sine nomine. namque,
Terribiles quamquam, atque invicti viribus essent,

---

168 *Tertia magnanimi* etc. Argenteae aetas aenea successit, cuius homines penitus deleti sunt, nullumque post mortem nomen aut dignitatem obtinuerunt.

176 *Arma illis ex aere*, etc. Nota usum aeris antiquiorem quam ferri.

Invasit mors atra tamen, solisque coëgit
Linquere purpurei iucundum lumen et auras.
Hoc etiam quum terra genus caligine mersit,
Rursum aliud fecit quartum Saturnius auctor
Iustius et melius, vastosque effudit in agros
Magnanimum heroum dium genus, inclyta dicit
Semideos quos fama et laudibus aequat Olympo.
Nec tamen hi bellumque malum pugnasque cruentas
Effugere: alios Cadmaeae ad moenia gentis,
Septem ubi stant portis Thebae, mors invida stravit
Pugnantes miseri capras armentaque propter
Oedipodae; ratibusque alios per caerula longe
Ad Troiam duxit raptae pulcherrima forma
Tyndaridis, fatoque illic oppressit acerbo.
Post ipsis reddens melioris tempora vitae
Iupiter, avectos procul hinc, qua meta recessit
Vltima terrarum, secreta in sede locavit,
Regnat ubi superum longe Saturnus ab arce.
Sic placidi nullis agitati pectora curis
Trans vastum oceanum celebrant loca laeta piorum,
Felices heroes: ibi ter poma per annum,
Florentesque parit foetus iustissima tellus.

---

186 ..... *quartum Saturnius* etc. Quarta sequitur heroum aetas, qui Thebanum Troianumque bellum gesserunt. His ab Hesiodo sedes laetissima in beatorum insulis tribuitur. Vide Homer. in IV *Odyss.* libro, ubi Menelaus Telemacho Protei vaticinium narrat, et Lucianum lib. II *Hist. Ver.*

193 ..... *capras armentaque propter* etc. In his antiquissimorum hominum divitias fuisse, nemini non notum.

Ipse utinam generi quinto non vivus adessem
Nunc hominum! periisse prius, vel serius auras
Aspexisse, foret satius: nunc ferrea namque
Progenies luctus inter noctesque diesque
Tristis agit; violenta deum sic ira fatigat
Correptamque malis agitat. tamen his quoque finem
Fors dabit, et sese miscebunt gaudia fletu.
Non similis genitor gnatis, gnatique parenti,
Hospitibusque hospes carus, nec amicus amico,
Nec fratri dilectus erit iam frater ut olim.
Contemnent gnati senio defessa parentum
Corpora, et incessent saevis per iurgia dictis

---

205 *Ipse utinam* etc. Ergo Hesiodus post Troianum bellum seu quinta aetate vixit. Haec ferrea dicitur aetas ab Hesiodo, quae non aliam ob caussam deterior omnibus ab eodem statuitur, nisi quod vetera omnia laudare homines, ac nova vituperare solent, irascique iis quibuscum versantur iam senes.

210 . . . . *tamen his quoque finem* etc. Hincne illa Virgilii in Salonini genethliaco? *Vltima cumaei venit iam carminis aetas*, et quae sequuntur. Certe et carmen cumaeum esse Hesiodi potest, cuius pater e Cuma, et ex hac aetatum continua mutatione heic a poëta descripta versibus Virgilii multa lux affulget, qui, hac adhibita veluti clave, recte omnes explicantur. Saecula enim mala, perpetua temporum vicissitudine, per nostrum poëtam paullatim ad bona atque adeo optima regrediuntur, quod futurum in Salonini ortu, vel eius potius, de quo non satis noto disseritur in illa ecloga, Virgilius auguratur.

Haud veriti ultores divos, et nulla laborum,
Pro se quos tulerunt, ingrati praemia reddent,
Cuncta ministrantes manuum vi. iamque rapinas
Alter in alterius vacuam meditabitur urbem;
Nullus honos pietatis erit, nec gratia iusti
Atque boni: laus certa scelus noxamque sequetur.
Nec pudor ullus erit, nec erunt communia iura
Iustitiae, laedetque malus meliora professos
Consilia, iniustusque serens periuria vulgo
Audebit quodcumque nefas. truculentus at ore
Ille malis gaudens livor comitabitur omnes,
Et miseras acuet falsis rumoribus aures.
Tum demum ad caelum, vasta tellure relicta,
Vestibus in niveis fulgentia corpora tollent
Et Pudor et Nemesis. mortalibus aspera clades
Linquetur, saevo nec erit medicina dolori.
Nunc autem haec vobis, quamquam ipsi pectora stulta
Haud geritis, dicam, reges. in nubila quondam
Aerios alte per tractus unguibus uncis
Dauliadem accipiter raptam dum portat, et illa
Flet miserum et curvo dolet ungui saucia, raptor
Sic illam increpuit violento turbidus ore.

---

229 *Tum demum ad caelum*, etc. Recte quidem: nam in tanta morum perversitate ac omnium flagitiorum colluvie et impunitate qui locus esse poterat Pudori ac Nemesi? Videtur autem mihi poëta quum haec scriberet, atra bile vehementer laborasse. Tum temporis fortasse aliquam acceperat iniuriam, quam ulcisci volens generatim in saeculi, quo vivebat, improbitatem invectus est.

Quid strepis o frustra? multo nunc fortior alter
Te cohibet; quaque ipse fero sublimis, eundum
Nempe tibi, quamvis tam dulcia carmina cantas.
Iamque velit si mens, discerptam aut ore vorabo,
Aut mittam. demens, quisquis contendere gaudet
Cum meliore; caret quaesito victus honore,
Ac patitur duros praeter convicia luctus.
Sic ait alta secans praelongis nubila pennis
Accipiter. tu Persa audi quae iusta, nec umquam
Indecores foveas, quos fert iniuria, sensus.
Illa etenim miseroque homini damnosa, nec ipsam
Ferre bonus facile potis est, sed pressus eadem
Ingemit, expertus noxam. quae ducit ad aequum
Tramite inoffenso, melior via: saevaque semper
Iustitiae progressa ad finem iniuria cedit,
Stultus et ipse suum post damnum discit. an Horcus
Non subito cursu sequitur periuria pravi

---

239 *Quid strepis o frustra?* etc. Notissima haec fabella, qua docemur ius fortioris validissimum esse; et qui in alterius est potestate, si iniuste puniatur, dolendum illi quidem, sed ferendum tamen: potentiori enim resistere, insanum est. Ceterum ii etiam, qui praesunt, quales non esse debent, ex eadem fabella discant.

241 . . . . . *quamvis tam dulcia* etc. Ideo haec a poëta addita, ut ostendat nullum esse tantum meritum, quod valeat contra vim.

254 . . . . . *an Horcus* — *Non subito* etc. Ὅρκος heic diversus et a Plutone et a iureiurando: nomen proprium est numinis, quod Hesiodus fingit religioni iudiciorum praeesse. De eodem etiam in *Theog.* v. 231 et inferius hoc ipso

Iudicii, trahiturque, homines quocumque trementem
Muneribus capti raptant, male prodita caussa
Iustitiae? quae moesta sequens, circum aëre septa
Obscuro, queriturque urbem desertaque tecta
Multa viris minitata, illam qui sedibus instant
Pellere, nec recti ad normam dant cuique, quod aequum est.
   Tellus illa mihi placeat, rectissima iura
Dantur ubi externisque suisque, et sustinet aequo
In manibus iudex libratam examine lancem.
Illa viget populis late florentibus, illam
Pax circum fovet alma, nec atro turbine belli
Iupiter exagitat pavidam. fraus nulla, nec inter

---

in *Opere*. Dicitur autem sequi prava iudicia, ut periuros iudices plectat. Sed in oraculo Pythiae, quod est in lib. VI Herodoti, Orci seu iurisiurandi filius dicitur sine nomine, neque ei adesse manus, neque pedes; celeriter tamen consequi, donec corripiens universam perdat sobolem, et domum totam.

258 . . . . . *quae moesta sequens*, etc. Quemadmodum Horcus, sic et Iustitia, afflicta quamvis et laesa ab iniustis hominibus, scelestos insequitur, nec improbis parcit minitari.

262 *Tellus illa mihi* etc. Elegantissima felicissimae regionis descriptio, in qua omnibus recte administratur iustitia. Elucet heic nativa quaedam venustas cum mira naturae simplicitate coniuncta graecorum poëtarum omnino propria. Quid illa quercu glandifera et apifera, si ita loqui fas est, evidentius? quid iis verbis: *non caerula ponti* etc. aptius ad significandam navigationem iis gentibus potissimum esse necessariam, quae soli foecunditate carent, quum periculi plena sit?

Iustos dira fames versatur: mutua semper
Gaudia et alternis celebrant convivia mensis.
Arva suum large dant fructum; in montibus altis
Summa parit quercus nutanti vertice glandes,
Mellaque fert eadem medio rorantia trunco.
Lanigerae densantur oves, et vellere onustae
Vix redeunt campis sero iam vespere; parvosque
Assimiles patribus natos alit ubere mater,
Perpetuisque bonis florent. non caerula ponti
Classe secant, fructus sat cuique est divitis agri.
   At contra queis triste nefas, queis noxia cordi
Crimina, continuo diris ultricibus aeti
Supplicia expendunt, totas et saepe videmus
Funditus eversas poenis crudelibus urbes
Vnius ob culpam, scelerosa atque impia facta
Aut ausi aut meditantis. eum dat propter in omnes
Iupiter exitium magnum, pestemque famemque
Coniunctas una campis immitit apertis.
Intereunt late populi, nec dulcia matres
Germina, spem sobolis, pariunt, patrumque propagant
Nomina: dispereunt totae sine nomine gentes
Irati certo nutu Iovis, eruit ollis

---

282 *Vnius ob culpam*, etc. Rectene heic a Clerico impietatis arcessitur Hesiodus, an iniuria, videant theologi. Mihi plane videtur, dicam pace tanti viri, omnino absolvendus, quum etiam non in uno sacrae Scripturae loco quid simile habeatur. An haec meticulosior Clerici Theologia quiddam aliud respicit? ἐπέχω. Certe illud apud Ecclesiasten idem est: saepe universa civitas mali viri poenam luit.

Interdum qui versa solo vel moenia saevus,
Vel iuvenum armigeras acies, disiectaque perdit
Navigia in syrtes rapiens iactantibus undis.
  Vos etiam, reges, vos o servate verentes
Iustitiam. neque enim longe a mortalibus absunt,
Sed propius cernunt divi, quicumque nefandis
Iudiciis alios spoliantque teruntque vicissim.
Ter decies sunt mille, Iovis caelestis origo,
Custodes hominum superi, qui semper oberrant
Per spatia immensae telluris, et aëre cincti
Iudicia observant vigiles violentaque facta.
Ipsa etiam est virgo magni Iovis aurea proles
Astraea: hanc quisquis prava ad convicia surgens
Laeserit, altisono residens vicina parenti
Iniustos queritur sensus mentemque malignam
Multa rogans, populus luat ut mala crimina regum,

---

294 . . . . . *neque enim longe* etc. Vt reges ipsos, quorum summum est in homines imperium, ab iniustitia deterreat, eis recte poëta deorum praesentium timorem insinuat. Itaque ni velint sponte, quae sua cuique tribuere, faciant id saltem eorumdem reverentia, qui vident, quaecumque fiunt, et regum etiam culpas facile ulciscuntur, quippe optime Horatius dixit: *reges in ipsos imperium est Iovis*.

297 *Ter decies* etc. An mysterium aliquod in hoc numero? nullum opinor. Ita dictum esse credo ad significandam maximam eorum multitudinem.

302 *Astraea:* etc. Postquam terras reliquit, in caelo Iovi assidet, eumque admonet, ut poenas praemiaque hominibus tribuat pro cuiusque merito.

Artibus instructi pravis qui tramite recto
Deflectunt, caussasque intorto fulmine damnant.
Hanc veriti, o reges, vestras intendite vires,
Oblitique iniusta, nec ore ad munera hiantes
Et facite, et semper quod fas est, dicite tantum.
Molitur sibi damna, alii molitus acerbam
Perniciem, auctoremque suum mens improba perdit.
    Omnia dispiciens oculus Iovis, omnia noscens,
Si velit, haec etiam cernit; nec caussa latere,
Quam nunc urbs agitat, valet ipsum. non ego iustus,
Non amet et natus meus esse, heic omnia quando
Deterius iustis veniunt, si quisque scelestus
Quo magis est, potior iure in certamine vincit.
Sed procul iste metus: non id sinet ira Tonantis
Spero equidem, tantumque nefas patietur inultum.

---

313 *Omnia dispiciens* etc. Hunc et sequentes sex versus, teste Proclo, expungit Plutarchus; et re quidem vera quid sibi velint, non satis liquet. Respicit fortasse poëta ad iniurias, quae sibi a fratre per iudices parabantur.

315 . . . . . *non ego iustus*, etc. Sane Clericus non satis recte videtur ob hanc sententiam quasi virum minime bonum damnare Hesiodum. Heic, ni fallor, non aliud poëta vult significare, nisi quod iusti homines in iudiciis, quae tum exercebantur, detrimenta saepe patiebantur: hi enim iure tantum decertabant; mali autem artibus omnibus, ac dummodo ipsis bene res cederet, fas atque nefas miscere non dubitabant. Itaque haec poëtice dicta ac per quamdam animi iracundiam accipienda esse duco. Nam ut honestum utilitati praeferamus, passim admonemur ab eodem vate.

Ergo agesis, o Persa, atque haec in pectore servans
Dicta tuo infandos ausus fuge semper, et ultro
Iustitiae pare. namque hanc Saturnius auctor
Imposuit legem, pisces ut piscibus acre
Exitium meditentur, avesque et secla ferarum
Sese alterna vorent, vivunt quando inscia recti.
Contra homini ius fasque dedit, quaeque optima legum,
Noscere iustitiam. nam si quis recta profari
Eligat, illum opibus large pia numina ditant:
At male mentitum et periuria sponte serentem
Supplicio perdunt infando, eiusque nepotes
Fama obscura manet. contra viget omnibus oris
Progenies iusti tardo praestantior aevo.
Interea fabor, stulto quae profore ducam,
Persa, tibi. ignavae metam contingere vitae
In manibus semper, brevis et via ducit ad ipsam,
Et prope stat. multus virtutem sudor ut aerem
Anteeat, volucre dei: longe ardua ad ipsam

---

322 *Dicta tuo infandos* etc. Fuge nimirum utilitatem, quam sine vi ac iniuria consequi nequeas; illam tantum sequere, quae a iustitia venit. Nihil enim homine indignius, quam in aliorum perniciem opibus et facultate abuti.

324 *Imposuit legem*, etc. Quum homini datum sit ab auctore naturae quid aequum quid iniquum sit, dignoscere, debet quisque non quantum possit, sed quantum illi iure liceat, in rebus attendere. Belluarum est utpote rationis expertium tantum ad vires respicere. Quid heic Hobbesius, et Machiavellius? Ridebunt profecto, et ad exempla, quae non raro acciderunt, provocabunt.

Asperaque horrescit via prima; ubi deinde cacumen
Veneris ad summum, fuerit licet antea visa
Difficilis, facili deducit tramite gressus.
Optimus ille quidem, per se qui plurima noscat,
Vsque sibi ad finem quae sint meliora futura
Omnia dispiciens: bonus et parere monenti
Qui sciat. ille autem qui nec sapit ipse, nec aures
Consiliis adhibet, male inutilis exigit aevum.
  Haec tu corde memor servans, incumbe labori,
Saeva fames ut te dium genus oderit, utque
Pulchra coronatae Cereris te gratia visat,
Atque eadem largis tua frugibus horrea vincat.
Ignavo namque atra viro penuria edendi

---

343 *Vsque sibi ad finem* etc. Supposititius a plerisque interpretibus habetur hic versus, indignusque Hesiodo a Graevio ducitur. M. Tull. in *Orat. pro Cluent.* sic habet: „ Sapientissimum esse dicunt eum, cui quod opus sit veniat in mentem; proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet „. Livius etiam melius hanc poëtae expressit sententiam ita: „ Saepe ego audivi, milites, eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in rem sit; secundum eum qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere sciat, esse extremi ingenii „.

351 *Ignavo namque atra* etc. Iam superius dixerat, ignaviam, quamvis in promtu omnibus, fugiendam; virtutem, quamvis principio difficilem, comparandam, quod felicitatis plena. Iterum heic ad ignaviam relabitur, ab eaque ut absterreat fratrem, eiusdem perniciosos enumerat effectus, laboremque quam maxime potest commendat, ut

It comes; invisumque odere hominesque deique,
Lentus agit quicumque ingrata per otia vitam,
Assimilisque inhiat fucis. non cura nec ullus
Ardor agit; resident aliena ad pabula segnes,
Absumuntque apibus, multo quae parta labore,
Stipant mella cadis, te vero munia obire
Haud pigeat, quaecumque vocent, ut semper abundes,
Vt tempestiva rumpantur et horrea messe.
Scilicet assiduus mortalibus omnia donat
Et pecus et laetas fruges labor, ille deorum
Concilio pariterque hominum dilectus amore.
Omnes ignavos odere: haud dedecus ullum
Fert labor, indecorem fert secum ignavia labem.
Quin operi incumbens alium quoque rumpere coges
Segnitiem dives, stimulisque ardentibus ures,
Aemulus ut lucrum tua per vestigia quaerat.
Et virtus comitatur opes et gloria, queis tu
Par superis dicere, labor ni forte morantem

---

omnium bonorum, quae homini in vita desideranda, largitorem amplissimum.

365 *Quin operi incumbens* etc. Ne id quidem postremum in laboris laudibus, quod alii intuentes ad fructus, quos a labore percepimus, nostro excitantur exemplo ad exercendam industriam, ut et ipsi tandem ditescant remque augeant

„ . . . . Labor omnia vincit
„ Improbus, et duris urgens in rebus egestas.

368 *Et virtus comitatur opes* etc. Hoc certe philosophiae contrarium; nihil enim adiumenti opes ad virtutem affe-

Terreat: haud misero melior data cura labore
Vlla homini, si quis parcens aliena vorare,
Te iubeo velut ipse monens, industrius aevum
Exigat, et dignas certatim exerceat artes.
Heu malus est pudor ille, tenet qui segnis egentem;
Saepe homines idem multum laeditque iuvatque.
Pauperibus comes usque pudor, fiducia diti
It comes. haud rapto quaesita, at numine divum
Res placeat concessa: ingentes namque paravit
Si quis opes manuum vi dura aut flumine linguae
Traxerit ad sese furatus; (qualia multa
Aspicimus fieri, quum lucri insana cupido
Decipit insinuans animos, sanctumque ruborem
Excutit effraeni dominata in corde libido)
Hunc facile divi attenuant, minuuntque rapinis
Parta male; exiguo iactat se tempore dives.

Noxius est aeque, qui supplicis ora fidemque

---

runt, nisi forte hoc loco virtus animi quamdam generositatem ac nobilitatem significat. Vide quid Vlysses Alcinoo dicat de muneribus, *Odyss.* lib. xI.

374 *Heu malus est* etc. Hi duo versiculi etiam in Homero leguntur, an huc intrusi, an legitimi? Certe plerique versus Homerici in Hesiodi scripta nescio quo pacto commigrarunt. Sententia vero est, prodesse pudorem, si loco ac tempore adhibeatur; obesse, si eo ignavia praetendatur. Igitur inertium tantum pudor improbatur.

385 *Parta male;* etc. Vetus est, et experientia saepe comprobatum illud: male parta cito dilabuntur.

Hospitii haud veritus maculavit crimine dextram,
Quique sui scandens secreta cubilia fratris
Polluit incensus furtivo coniugis igne;
Quique dolo aggressus pueros sine patre relictos
Laesit, et incanum senii iam limine in ipso
Incessens turpi violavit voce parentem.
Iupiter his graviter saevit, iustasque reposcit
Pro scelere admisso poenas. tu talibus ausis
Abstineas stulta cohibens in mente furorem;
Copia quaeque aderit, caste sit cura beatis
Diis facere, et pingues aris incendere odores.
Liba interdum illos, interdum victima placet,
Aut somni quum tempus adest, aut purpureus sol
Quum matutinas pingit per gramina guttas,
Vt faciles adsint placido tibi numine, tuque
Alterius laetere, tua non ullus adepta
Sorte aliûs, quamvis auro contendere certet.
Nec minus et positis si quando epulabere mensis,
Hoste procul misso, socios accire memento
Laetitiae in partem; primusque ex omnibus adsit,
Tecta tuis habitat qui proxima. namque repente

---

387 *Hospitii haud veritus* etc. Vide quo in numero criminum Hesiodi tempore habebatur hospitii violatio.

405 *Hoste procul misso*, etc. An etiam hac de re monendus erat Persa, utpote stultissimus; an frigidum id senectuti dictum tribuendum est?

407 . . . . . *namque repente* etc. Qui haec negat, nae ille parum in ea, quae accidere quotidie videmus, intendit mentis aciem. Vera item et sapientiae plena, quae de

Si qua fuat sors dura, statim sine tegmine nudi
Auxilio venient vicini, dum male fidi
Cognati ducuntque moras et corpora cingunt,
Magna malus noxa est vicinus; commodus aeque
Est bonus: hunc nactus, thesaurum es nactus opimum;
Nec bos, nec deerit quidquam, vicinia circum
Ni mala sit. quidquid dederit vicinus, ad aequam
Accipe mensuram demensum: rursus eadem,
Aut etiam possis si fors magis ubere, redde,
Vt facile invenias iterum, quibus indiget usus.
Haud sine te fallant avidum mala lucra: potitus
Dura feres; ipsis mala lucra aequalia damnis.
Quisquis amet te blandus, cum non segnis amore
Prosequere; et visat si forte, invisere eundem
Ne pigeat. da sponte illi, qui primus egenti
Iam tibi quid dederit: nil da, quem noveris usu
Haud facilem; danti dat quisque, negatque neganti.
Crede etiam donare bonum: lethale periclum
Sit rapere exitiumque malum. nam plurima quamvis
Donarit quis sponte sua, laetatur, et olli
Dulcia pertentant generosum gaudia pectus.
Qui rapuit contra violento robore fretus,
Exiguum quamvis fuerit; tamen intus acerbis
Vsque agitur stimulis et tristi pectore moeret.

---

mutuo, de largitionibus, de liberalitate, de parsimonia, de re augenda conservandaque, deque ceteris ad vitam recte in hominum societate administrandam pertinentibus heic a poëta congeruntur.

Si parvis parva addideris, repetensque frequenter
Feceris, ingenti cumulo mirabere parta
Crescere, nec miserae metues famis horrida damna.
Atque adeo fida quidquid stat sede repostum,
Haud homini nocuit: melius latet abdita tecto
Copia; quaeque foris, non sunt expertia cladis.
Non ego te rebus, nec fas, praesentibus uti
Abnuerim: tantum iubeo, ne postmodo frustra
Indigeas, uti sapienter: utrumque cavendum
Scilicet ac studio tibi multo saepe putandum.
Incipiet quum vina cadus tibi fundere, quumque
Desinet, hausta sitim cupidi bene pocula placent.
Sed medio tu parce: quid imo parcere fundo
Profuit? haud fallas quemquam fraudatus, et omni
Dicta viro merces adsit, quae iusta labori
Sufficiat. testes adhibe cum fratre vel ipso
Colludens: fugiendum homini tum credere semper,
Tum male diffisum non ullis credere dictis.
Ante alia heu caveas, obscoeno femina cultu

---

432 *Si parvis* etc. Haec et quae sequuntur, inter proverbia reponenda, quemadmodum multa alia Hesiodi dicta, ut videri potest in Chiliad. apud Erasmum.

442 *Incipiet* etc. Dicunt aliqui, heic Hesiodum voluisse monere, vitanda esse extrema liberalitatis, ut neque prodigi simus neque sordidi. In summo, addunt, vinum esse tenuius, quod sit aëri proximum; in imo foeculentum, in medio autem esse purum. Igitur in medio probatur parsimonia. Non displicet.

450 *Ante alia* etc. Haec de malis feminis intelligenda,

Blanda tuam capiat mentem, atque improvida fallat
Pectora subrepens tuguri sub cespite. fidit
Qui generi infido, fidat vel furibus idem.
Molle tibi pascatque pecus per prata sequutus
Vnigena, ac tutae custos penetralia sedis
Servet opesque omnes: ita rerum copia crescet.
Atque utinam moriare senex, natumque relinquas
Post te alium. facile dat opes et pluribus aptas
Iupiter: aucta viget vis pluribus, et sua largo
Proventu sequitur multorum copia curas.
    Iamque age si mentem tenet auri arrecta cupido,
Sic facito: usque operi sollers opus, usque laborem
Adde labori instans, segnique irascere campo.
    Pleiades ostendunt ubi sese Atlantides ortae
Aethera per sudum, falcem supponere aristis

---

turpique addictis quaestui, quibus fidere quam sit periculosum, utinam quamplurimi nescirent.

457 . . . . . *natumque relinquas* etc. Videtur hic Proclo versus reiiciendus, Heinsio transponendus, Guieto emendandus, et pro *ἕτερον* legendum *ἀταλὸν* nempe tenerum. Ego nil ausim mutare, suspicorque heic Hesiodum voluisse dicere, ex senis esse felicitate, ut non solum post se haeres filius relinquatur, sed etiam filii filius seu nepos.

461 *Iamque age* etc. Absoluta ethices parte sibi ad oeconomiae praecepta tradenda viam sternit Hesiodus, initiumque ab agricultura desumit, quae est omnium artium antiquissima ac nobilissima.

464 *Pleiades ostendunt* etc. Hunc versum aliqui ita distinguentes a superioribus scribunt, ut sit quasi initium alterius libri eiusdem poëmatis: videtur autem continuo du-

Incipe: ubi vero rutilantia lumina condunt,

---

ctu totum hoc carmen *Opera ac Dies* esse conscriptum, nec in libros divisum, quemadmodum postea Virgilius aliique fecerunt didactici poëtae. Sed ad Pleiadum ortum veniamus. Petavius *Var. Dissert.* lib. II cap. IX Pleiadum ortum heliacum, de quo tantum heic sermo, factum esse docet Hesiodi saeculo in 1.° gradu Tauri, et incidere circa 11 Maii diem, quod tempus solet esse circiter initium messis in Graecia. Hae vero septem Atlantis filiae idest Maia, Electra, Taygeta, Asterope, Merope, Alcyone et Celaeno. Diod. Sic. lib. III.

466 ..... *ubi vero rutilantia* etc. Non est abs re, ea heic fusius exscribere quae idem Dion. Petavius habet *Dissert. var.* lib. II cap. IX. Matutinum ortum *φαινόμενον* seu *ἡλιακὸν* significari, ac *δύσιν ἑῴαν* seu occasum cosmicum ne pueri quidem nesciunt. Hesiodi saeculo ortus ille contingebat, uti nota in superiore dictum est, in Tauro. Stellae sunt Vergiliae plures: una est ex eis lucidior ceteris, magnitudinis tertiae. Ea, tempore Hesiodi, occidebat heliace in gradu Arietis 4, 8′ oriebatur in Tauri gradu 11, 4′ at prima stella, versus occidentem, occasum heliacum faciebat in gradu Arietis 0, 51′. Intervallum inter occasum primae Pleiadum et ortum lucidae gradus 40. Merito itaque diebus abscondi quadraginta Vergilias canit Hesiodus. Sol in Arietem vero motu subibat, Hesiodi tempore, Martii 31. Quippe anno periodi Iul. 3714 verus locus Solis in Arietis initio fuit Athenis Martii 31 hora post mediam noctem 1, 24′. Itaque Taurum ingrediebatur Aprilis 30; Maii proinde 11 die lucida Pleiadum oriebatur; ultima vero Pleiadum ad orientem Maii 16 quo tempore messis incipiebat in Graecia. Occasus earumdem matutinus in Librae gradu 19, verus non aspectabilis. Ideo circa initium Scorpii *ἐπικατάδυσι; φαινομένη* accidit ineunte Novembri.

Vomeris attriti sulco splendescere dentem
Coge solum findens. quater illae ex ordine denis
Noctibus occultant sese totidemque diebus;

Nam aequinoctium autumnale, per idem tempus, incidit in Octobris initium. Tunc igitur arationis ac sationis tempus aperit, quod Virgilius hisce versibus expressit:

„ Ante tibi eoae Atlantides abscondantur,
„ Gnossiaque ardentis decedat stella coronae,
„ Debita quam sulcis committas semina etc.

Ex qua cl. Petavii doctrina et ex iis quae idem contra Salmasium disputat lib. vII infert Clericus: in verbis Hesiodi fieri mentionem unius ortus heliaci Pleiadum, et duplicis earum occasus. Ortus tempus referendum esse ad 11 Maii. Priorem occasum, qui arationis tempus indicabat, fuisse cosmicum, cum oriente Sole una cum Scorpio, in quo est, Pleiades in Tauro sitae horizontem ex adverso subeunt. Quod circa initium Novembris factum tempore Hesiodi. Posteriorem vero occasum obscurius indicari, esseque heliacum occasum, qui fiebat 3 Aprilis, et post quem in radiis solaribus per quadraginta dies latebant Pleiades. Ita vero, dicit, loquutum esse Hesiodum, quasi confunderet utrumque illum occasum: benignius tamen eius verba esse explicanda, quum et poëta esset, et non ignoraret, quantum sit tempus arationem inter et messem.

469 *Noctibus occultant sese* etc. Docet Scaliger, astrologos veteres δύσιν ἡλιακὴν occasum solarem dixisse, quando stella radiis est solaribus involuta, idque dici vulgo *stellam combustam*. Illam autem δύσιν debere dici κρύψιν: est enim occultatio potius quam occasus. Quando vero stella explicatur e Solis radiis, quod proprie dicitur ἐξαυγασμὸς, hoc vocare ἀνατολὴν ἡλιακήν. Hoc autem intervallum esse iuxta eosdem astrologos quindecim graduum seu

Mox iterum apparent circumvolventibus annum
Temporibus, quum ferri acies obtusa novatur.
Has terrae leges aeternaque foedera servant,
Seu propius pelago iaceant, sive aequore longe
A resono curvos inter fugere recessus,
Laetaque felici iactant uligine prata.
Nudus aratra move, nudus fere, nudus acuta

---

totidem circiter dierum. Heic autem per Hesiodum non quindecim, sed viginti dierum est occultatio, et totidem emersio.

470 ..... *circumvolventibus annum* etc. Principium anni hesiodaei videtur intra hos quadraginta dies collocandum, et referendum fortasse ad initium Tauri, a quo et Virgilius annum auspicatur, quum dicit:

„ Candidus auratis aperit cum cornibus annum
„ Taurus etc.

Per Scaligerum vero annus Thebanus tempore Hesiodi erat idem cum Delphico, et idem principium habebat a mense, qui incidebat in Geminos, Athenisque dicebatur *Thargelion* vere iam adulto. Haec ex Graevii adnotationibus. Si plura desideras vide Petavium in libris *Variar. Dissert.*, et Corsinium in *Fast. Attic.* etc. Ceterum quanta fuerit Hesiodi astronomica scientia videre est in *Hist. Astron. antiquae* Baillyi, qui eumdem et Homero hac in re praefert, et summis laudibus eius peritiam extollit, ut etiam non dubitet eiusdem auctoritate Atlanticae cuiusdam nationis astronomiae peritissimae interitum, quae antiquissimis temporibus floruerit, confirmare.

476 *Nudus aratra* etc. Ita et Virgilius: *nudus ara, sere nudus, hyems ignava colono* etc. quod praeceptum in utroque poëta, eo intelligendum sensu, non ut agricolae

Falce seca messem, Cereris si munera ferre
Tempore quaeque suo cupias, eademque videre
Non aliena suis crescentia mensibus anni.
Namque aliter frustra alterius penetralia vises
Indigus, efficiesque nihil, ceu nuper ad aedes
Vidi te venisse meas. sed non ego posthac
Effundam largitus opes, aut mutua rerum
Sufficiam. iam nunc, o Persa, intendere vires,
Et iuvet assiduo terram exercere labore,
Quem superi statuere homini, si coniugis almae
Si te digna manet natorum cura parentem;
Ne male vicinos tristis sic usque petendo
Sollicites, ipsi neglectum denique spernant.
Fors etenim bis terque dabunt: at poscere perges
Si gravis, heu vacuus nequidquam multa querere,
Verborumque sonus cadet irritus. ergo age segnes
Rumpe moras: quamprimum alienum aes solvere certa,
Solarique famem, propriasque adquirere sedes,

---

omnino nudi labores huiusmodi aggrediantur, sed ut leviter de more vestiti et arationem ante frigus exerceant, et messem colligant aestate iam coepta, et ipsam sationem maturius quam fieri possit, conficiant in autumno.

482 *Vidi te venisse* etc. Patet ex hoc versu Persen auxilio fratris saepe indiguisse, quamvis et patris haereditatem acceperit, et maiorem tulerit bonorum partem vel rapina vel iudicum etiam sententia, quos sibi malis artibus conciliare studebat. Quid Hesiodus? Dabatne petenti? dabat enim vero; sed amplius negat se daturum non avaritiae caussa, sed ne fratris pigritiam confirmet.

Ipse ubi tu degas, taurusque assuetus aratro,
Quaeque boves ducat campis, innupta puella.
Omnia dein iubeo in domibus sint arma parata
Ante tibi, abs alio quaerens patiare repulsam
Ne tristem, careasque illis, dum praeterit aestus
Interea, incultoque minus labor utilis agro est.
Crastina lux fallit multos: nil differ in horas
Inque dies. numquam cunctator frugibus implet
Horrea, et impatiens odit quicumque laborem.
Auctat opus bona cura: terit qui tempora lentus,
Flava Ceres damnis luctantem ridet Olympo.
Quum minus igniti fervent iam spicula solis,

---

496 *Quaeque boves ducat* etc. Multa interpretes in has voces Κτητὴν ὀυ γαμέτην, quae vide in Graevii editione. Mihi ancilla est innupta. Boves vero dixi vaccas: est enim bos hic et haec. Eas porro ancillae sequebantur; cura autem taurorum praecipue ad viros pertinebat.

501 *Crastina lux fallit* etc. Praeclara certe sententia, quae si recte ab hominibus servetur, maximarum rerum esse fons et origo solet. Si quis vero mihi irasci voluerit, quod Hesiodi vocem ἐς τ᾽ ἔννηφιν, quae seu in perendinum seu in extremum mensis seu in aliud quidquam potius debuisset efferri, ego in horas inque dies verterim poëtice usus hac circumloquutione, is certe mecum iniuste aget. Etsi enim non vocem, in qua haerent et Harpocration et Hesychius et Proclus aliique Grammatici; vim tamen vocis, ut M. Tullius faciendum praecipit, ac poëtae mentem satis me arbitror reddidisse. Vide autem Columellam lib. xI cap. I quantum agriculturae noceat dilatio, ubi ipsius huiusce loci Hesiodaei mentionem facit.

506 *Quum minus igniti* etc. Autumno appropinquante

Nec lassis calidus sudor fluit artubus, udo
Imbribus autumno, mortalia corpora vires
Accipiunt, florentque agili mage vivida motu.
Namque caput supra breviori tempore clari
Sidus inardescit solis, nec lumine terras
Despectat recto, nocturnaque gratior umbra
Agricolis, longique quies placidissima somni.
Tu ferro non ante intactae robora sylvae
Deiice, quam subter foliis horrere caducis
Pingue solum aspicias. tum findere ligna securi
Tempus, ubi foetu pubescere desiit arbor.
Incipe: frangendis mortaria frugibus apta
Ad ternos incide pedes, ternasque per ulnas
Pistillum pariter longum; nec faginus axis
Sit brevior pedibus septem, ceu postulat usus.

---

hominum corpora firmiora sunt quam aestate; quod a continuo sudore relaxantur fibrae extenuaturque vis.

511 *Sidus inardescit solis*, etc. Etiam Guieto et aliis *Σείριος ἀστὴρ* hoc loco idem ac sol. Non ignorabat porro Hesiodus iis post aestivum Solstitium, qui sunt cis aequatorem, minorem esse arcum diurnum solis; iis autem qui trans aequatorem incolunt, maiorem.

514 *Tu ferro* etc. Eo tempore ligna caedenda monet poëta, ut minus sint obnoxia vermibus, quo arbores minus tenerae sunt, minusque abundant humore.

518 *Incipe: frangendis* etc. Multa heic, quae magno sunt agricolis usui enumerantur. Ea autem enumeratio si cui minutior videbitur, illud Virgilii ad mentem revocet:

„ In tenui labor, at tenuis non gloria, si quem
„ Numina laeva sinunt, auditque vocatus Apollo etc.

Malleus ipse pedes veniat protentus in octo,
Palmorumque decem cui longi robora plaustri,
Curvatura rotae tres palmos mobilis aequet.
Multaque praeterea e sylvis in tecta referre
Te iubeo: in primisque burin, tu sicubi campo
Montibus aut solis errans inveneris olim,
Ilignam. haec etenim validi firmissima aratri
Materies, temone faber quum fixerit arte
Palladia, et clavis dentali adiunxerit aptam.
Bina domi solido sint facta e robore aratra,
Compactum impactumque; Ceres nam gaudet utroque,
Vtiliusque tibi multo est: si fregeris unum,
Protinus iniicies aliud per colla iuvencis.
Ex ulmo laurove venit fortissima stiva
E quercu dentale, burisque ex ilice. iamque
Ad iuga panda mares, quos nona inviserit aestas,

---

529 . . . . . *temone faber* etc. Lignariis etiam fabris Pallas praeesse credebatur: hinc Virgilius de ligneo equo Troiano

„ . . . . divina Palladis arte aedificant.

531 *Bina domi* etc. Duplex aratri genus: alterum αὐτόγυον dicebant Graeci idest nativum non compositum; alterum dicebant πηκτὸν scilicet non simplex et ex uno ligno factum, sed compositum et compactum ex pluribus. Vide utriusque formam, ut et aliorum instrumentorum quae superius nominata sunt, in editione Hesiodi Graeviana.

536 *E quercu dentale*, etc. Ἔλυμα Graecis, quod Latinis dentale. Male vero dentale cum buri, aliqui interpretes confuderunt: illa enim Γύη.

537 . . . . . *quos nona inviserit* etc. Aristoteles ait de

Iunge boves: illis robur validusque iuventae
Stat vigor, obnixaque ferunt cervice laborem;
Nec sulco in medio frangent grave pondus aratri
Certantes simul, atque opera imperfecta relinquent.
Hos iuvenis ducat denis quater integer annis
Quadrifidae octono saturatus munere quadrae,
Invigilansque operi directo limite sulcum
Semper agat. non ille aequaevos lumine spectat
Se circum, ast omni studio defixus in uno
Vomere contendit. sese huic haud praeferat alter,
Quamquam etiam primo vigeat florentior aevo
Semina rite manu versos iactare per agros,
Ne satio fessum revocet, curamque reposcat.

---

bove: *ἀκμάζει δὲ μάλιστα πενταέτης ὤν·* paulloque post subdit: *καὶ τοῦ βοὸς ἐννεώροιο· δύναται γὰρ ταυτόν.* Quae Aristotelis verba in lib. VI cap. XXI *Hist. anim.* ex Hesiodi loco lucem accipiunt, voluitque philosophus, ut bene Clericus explicat, indicare bubulam carnem optimam esse in quinto anno, robur vero corporis ac pellis firmitatem circa nonum, quod *τὸ δύναται* significare videtur.

543 *Quadrifidae octono* etc. Panes apud Graecos et Romanos, quemadmodum etiam hodie fit multis in locis, variis incisuris signari solitos constat. Athenaeus lib. III cap. XXIX, ut observat vertitque Clericus, haec habet: Blomilios vocari dicit (Philemon) panes incisuris divisos, quos Romani quadratos vocant idest in quadras incisos. Itaque ni fallor, Hesiodus duabus quadris seu octo frustis aratorem explendum praecipit. Herculani a Fossoribus inventus est panis cum inscriptione: Siligo C. Cyrani, e Cicere *ὀκτάβλωμος* sive octo buccellarum. Gorius *Symb. Rom.* tom. II pag. 159.

Mobilior iuveni mens est, semperque vagatur
Huc animo atque illuc aequaevos inter oberrans.
Contemplare, gruis quum vocem e nubibus altis
Audieris. rauco tranat clangore quotannis
Nubila, et agricolis certum fert tempus arandi,
Ostenditque hyemis pluvias, bobusque carentis
Acribus ipsa viri rodit praecordia curis.
Tunc instans camuros, plena ad praesepia clausos,
Pasce boves, tunc urget opus. non ardua dictu
Res etenim: mihi plaustra dato, fortesque iuvencos.
Reddere sed pariter res est haud ardua contra:
Plaustra bovesque meus labor occupat. hunc quoque fallit

---

553 *Contemplare, gruis* etc. Adverte heic sermonem esse de gruum emigratione, non vero de adventu. Plura si cupis in hanc rem, consule Sam. Bochartum *Hier.* P. II lib. I cap. XI.

555 . . . . . *fert tempus arandi* etc. De variis arationibus vide copiosissime disserentem Claud. Salmasium in suis ad Solinum exercitationibus.

558 *Tunc instans camuros*, etc. Ἕλικας, ait Guietus, idest boves curvis seu reflexis cornibus. Ita Virgilius, *et camuris hirtae sub cornibus aures* etc.; ad quem versum Philargyrus: Camuri boum sunt, qui conversa introrsum cornua habent: quibus contrarii Patuli, qui cornua diversa habent: Laevi quorum cornua terram spectant. His contrarii Licini, qui sursum versum cornua habent. Eadem ferme docet et Servius.

559 . . . . . *non ardua dictu* etc. Simplicissima quidem sententia, sed verissima et ab ipsa natura usuque rerum desumpta; quo loquendi venustissimo genere quanto antiquiores sunt, tanto delectantur magis poëtae.

Incautum spes vana, sibi qui dives inani
Est animo, statuitque extemplo condere currum
Ignarus, centum praedurum robora plaustrum
Exigere, in domibus quae sint multo ante reposta.
 Ergo ubi tellurem monuit proscindere tempus,
Aggredere ipse instans pariter, famulantiaque urgens
Corpora vernarum tecum una accingier armis,
Tempestas dum suda, solumque humore madescit
Collecto. primo te surgens aurea mane
Tithoni coniux opera inter talia visat
Sollicitum, ne plenus ager tua vota moretur.
 Vere solum primo domita, rursumque sereno
Arva iterato aestu, tum semina sparge novali
Proscisso leviter glebisque recentibus atro:
Nempe hilarat natosque novale atque arcet avari
Agricolae diras. in primis multa precatus
Terrestri fer vota Iovi Cererique verendae,
Laetus uti largo proventu exuberet annus,
Maturique sacro grandescant munere foetus.
Incipiens tentare agros cape robora stivae
Summa manu, stimuloque boum contingere terga
Ne pigeat. iuvenis vestigia pone sequatur
In manibus longum retinens de more ligonem,

---

585 *In manibus longum* etc. Idest *μακέλην*, quam non ligonem, sed malleum ad occas frangendas vult esse Scaliger. Sed falli videtur; quod heic Hesiodus de tertia aratione, non occatione, loquitur. Igitur *μακέλη* ad invertendam seminibus terram heic inservit, quod non malleo sed ligone fit.

Seminaque abscondat glebis, aviumque rapinas
Arceat. humanum genus alto industria caelo
Aequat agens, contraque malis inscitia perdit.
Sic plenae ad terram nutabunt pondere aristae,
Finem si dederit facilem Saturnia proles,
Quasque olim in vacuis sublimis aranea telas
Texuit, excuties cistis, intusque repostis
Muneribus terrae longo lactabere victu.
Ver purum inveniet gaudentem; et lumine numquam
Respicies alios supplex, potiusque videbis

---

586 . . . . . *aviumque rapinas* etc. Dicit quidem Hesiodus, negotium seu potius laborem avibus facessat. Ego vero non presse ac de verbo ad verbum efferendum duxi: avibusque laborem augeat; sed virgiliana sum usus loquutione, quae rem ipsam eleganter exprimit. Delector enim vehementer, uti Lector eruditus facile potuit animadvertere, virgilianas voces, ubicumque possum, adhibere, quibus quasi quibusdam gemmis mea distinguatur versio: sic in *Odyssea* feci, sic facere nunc hoc ipso conor in opere.

587 . . . . . *industria caelo* etc. Ε'υθημοσύνην ego verti industriam seu bonum ordinem; *κακοθημοσύνην* inscitiam seu malum ordinem. Guieto enim est *ἐυθημοσύνη τὸ καλῶς διατίθεθαι καὶ ὀικονομεῖν τὰ ἑαυτοῦ*, et contra; quod certe potissimum in industria situm est, ac contrarium in inscitia seu mavis temeritate. Hanc mihi sane dabit veniam Graevius.

591 . . . . . *sublimis aranea* etc. Eleganter dictum de vasis, quae implenda sunt: nam vacua plena esse solent aranearum telis, quemadmodum de sua crumena lepide iocatur Catullus inquiens: *nam tui Catulli plenus sacculus est aranearum* etc.

Ad tua vicinos subrepere limina egentes.
Quod si devexo quum iam decedit Olympo,
Conversosque obliquat equos sol almus, aratro
Exercebis humum; residens male pinguis avenae
Despicies calamos, vel inaequales sine certo
Ordine componens per vincula nexa maniplos
Heu manibus capies pauxillum tristis et atro
Pulvere sordescens. oneri sat parva ferendo
Sportula erit, campoque redux spectabere paucis.
Nec superis mens una tamen, mutantque vicissim
Consilia: ast homini sensus deprendere durum,

---

597 *Quod si devexo* etc. Hoc est circa brumam: nam ut Salmasius animadvertit pag. 517. *Exerc. Plin.* legitimum sementis tempus praecipue triticeae, de qua ferme sola loquitur Hesiodus, in Africa et Graecia omni erat ab occasu Vergiliarum usque ad Solstitium hibernum ita, ut quae in ipso occasu incipiebat meliorque satio habebatur, festinata diceretur; quae circa brumam deteriorque, serotina.

599 . . . . . *residens male pinguis* etc. Nimirum nulla erit caussa, cur festines, quamvis otium in metendo vetent, festinationemque rei rusticae periti maxime suadeant, ut videre est, apud Columellam lib. II cap. XXI qui huius etiam rei tradit rationes. Ἥμενον ἀμᾷν Graevio est otiari messis tempore; quod expressi per illa verba residens despicies.

600 . . . . . *vel inaequales* etc. Guietus ita interpretatur τὸ ἀντία δεσμεύων, ut propter inaequalitatem spicarum aliae altius, aliae inferius in manipulos componantur, prout ad manus veniunt, nullo ordine servato. Alii explicant *ex adversa parte ligans;* sed ipsi videant quid hocce sit, mihi sane ignotum.

Quos agitant; aliis aliud magis utile tempus.
Iamque licet serus proscindere coeperis arva,
Hinc segni tibi certa manet speranda medela.
Quum primum querna resonat sub fronde Cuculus,
Mortalesque hilarat cantu, tunc Iupiter imbre
Per triduum assiduo sitientem temperet agrum
Humorem insinuans, quantum bovis ungula subter
Fixa solo tegitur, bifida et vestigia signat.
Hoc ubi contigerit, primo iam serus arator
Aequus erit, frugesque satas mirabitur una
Crescere, et in parilem demum flavescere messem.
Quae serva tu cuncta memor, nec floriferum ver
Nascens te lateat, nec tempestivus ab atra
Nube cadens imber. quumque horrens frigore magno
Saevit hyems, fuge plena pigris loca quaerere, ferrum

---

607 . . . . . *aliis aliud magis* etc. Aliquando etiam ea, quae intempestive aguntur, proveniunt melius, quam ea, quae suo acta sunt tempore, praesertim si varient temporum circumstantiae.

610 *Quum primum querna* etc. Veris scilicet initio, quum apparet Cuculus; docetque Plinius lib. XVIII cap. XXVI ante putandas esse vites, quod dedecus habebatur opprobriumque meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi.

612 *Per triduum assiduo* etc. Huius pluviae triduanae beneficio, ait Guietus, sera aratio tempestivae aequalis fuerit.

621 . . . . . *fuge plena pigris* etc. Antiphon in Oratione contra Nicoclem ait, *λέσχας* publica vocabant loca, in quibus otiosum vulgus desidebat. Vide quae Clericus ad hunc ipsum versum ex Cleanthis libro de diis affert. Officinas

In quibus exercent fabri, gratumque teporem
Igne fovent. tunc multa etiam parat arte colonus
Impiger, aucta quibus niteat domus, et minus ipsa
Laedat hyems. cave damna hyemis, quam pone sequuta
Pauperies gaudet tenuatis cernere palmis
Nequidquam premere agricolas turgentia crura.
Quin et multa animo versat spe lusus inani
Flagitia ignavus, tristis quem vexat egestas;
Nec bona spes certe tenet illum, lentus ad ignem
Qui residet, sociosque inter nugatur egenus
Hospitio in molli. cursu quum volvitur aestas
In medio, famulis clama: non semper amici
Aestus erit; iam nunc mapalia ponere circum,
Et vitare iuvat Iani mala tempora bobus.

---

autem ferrarias etiamnum, praesertim in pagis, plenas hyeme cernimus otiosis rusticis inter se ad ignem vicinum colloquentibus. Porro verum illud Columellae, homines nihil agendo, male agere discunt.

626 . . . . . *tenuatis cernere palmis* etc. Id famelici indicium; et Aristoteles docet in *Problematis*, famelicis superiora arescere, inferiora tumescere.

635 . . . . . *Iani mala tempora* etc. Hesychius ad vocem *ληναιὼν* ait, nullum mensem ita Boeotios vocare; suspicari autem Plutarchum esse *βουκάτιον*, quod frigidus est, eratque primus apud Thebanos mensis, Atticoque Gamelioni respondens. Itaque ego Lenaeonem pro Ianuario habui Moschopulum sequutus, qui de Lenaeone dicit, *ὅστις ἐστιν ὁ Γανουαρίος*. Iohannes etiam Tzetzes interpretatur Ianuarium, Lenaeumque dicit vocari ab Ionibus, *ὅτι τὰ πιθοίγια ἐν τούτῳ ἐγίνετο, ἢ ὅτι τῷ διονύσῳ ἑορτὴν τὴν*

Aspera iam veniet glacies, iam frigora gliscent
Flante aquilone, mari qui sese immittit aperto
Threiciis volitans e montibus, imaque turbat
Aequora; late omnis tellus sonat altaque sylva.
Ille furit; cadit icta abies, deiectaque quercus
Montibus ex altis in valles volvitur imas,
Incumbitque solo nemoris cum murmure magno.
Horrescunt passimque ferae, caudamque remulcent
Inguina compositam subter, trepidantque rigentes
Illae etiam queis tecta cutis: licet aspera villis
Corpora sint, aquilo gelidus tamen omnia perflat.
Quin et dura bovis penetrat per tergora, sese
Insinuans; penetratque capras a frigore setis
Non bene defensas. ovibus modo, longa per annum
Integrum servata tegunt quas vellera, parcit.
Vis eadem curvatque senem, longaevaque membra
Contrahit: at teneram florenti aetate puellam
Aequa timet, carae thalamo quae casta parentis
Nondum opera idaliae Veneris nec gaudia novit,
Lotaque formosos artus, beneolentis et uncta
Rore olei tacita servat penetralia nocte,
Tempus ubi hibernum saevit, rabidoque prehensos
Ore pedes mordent exossi animalia tergo

λεγομένην ἀμβροσίαν ἐτέλουν. Sed alii Lenaeorum celebrationem referunt ad finem autumni.

652 . . . . . *at teneram* etc. An quod puellae praecipue calore abundant, an potius quod domos servant, nec foras egrediuntur? Secundum placet.

658 . . . . . *exossi animalia tergo* etc. Hesiodus absolu-

Sedibus in gelidis caecoque latentia in antro.
Haud illis sol namque diu, qua pabula parte
Inveniant, caelo monstrat; tunc ipse nigrantes
Aethiopum supra populos conversus et urbes
Tardius Argivas respectat lumine terras.
Atque animantum adeo secla omnia, cornua quaeque
Fronte gerunt, isdemque carent, stridentia passim
Dentibus horrendum in dumos quercetaque in alta
Diffugiunt, lateque specus latebrasque requirunt
In latere exesae rupis. torpentia cernas
Haud secus, ac pedibus qui ternis corpora firmat

---

te dicit *ἀνόστεος*, nimirum *ὁ πολύϖους*, ut infra etiam *φερέοικος*, scilicet *ὁ κοχλίας*, et alia similiter. Plinius autem lib. IX cap. XIX auctor est, polypo esse proprium, ut fame laborans sibi pedes arrodat: qua re maxima hyemis saevitia notatur.

662 *Aethiopum supra* etc. Bene Clericus notat, eum antipodas esse, intelligere debuisse, qui solis arcum diurnum tempore brumae intelligebat minorem apud Graecos, maiorem esse in Aethiopia. Admissa tamen hac notitia, alterum, quamvis necessario consequeretur, negabant veteres. Hoc autem fit, quum Sol est in Sagittario.

669 . . . . . *pedibus qui ternis* etc. Alludit poëta ad aenigma Sphingis: *τί ἐστιν τὸ αὐτὸ δίϖουν, τρίϖουν, καὶ τετράϖουν*; Oedipus autem declaravit, ut narrat Diodorus, hominem esse quod propositum erat: infantem enim quadrupedem esse, auctum vero bipedem, senem denique factum tripedem scipione utentem propter infirmitatem. Bipedesne homines natura an quadrupedes? Etiam hac de re, si diis placet, disputatum est, ut nulla suos non haberet insania patronos tribus Anticyris insanabiles.

Ingrediens fractoque humero et cervice reflexa
Ad terram, canos nivis altae trudere montes.
Tunc iubeo glaciem contra munimen in artus
Iniicere; e denso mollem tum vellere laenam,
Demissamque pedes tunicam tunc indue ad imos,
Quam multo interius crassam subtegmine texes.
Hanc cape tu monitus, ne summo in vertice crines
Arrecti, rigeantque hirsuto in pectore setae
Horrentes. plantas circum direpta iuvencis
Tergora necte, addens pedibus florentia subter
Vellera; et haedorum, queis sunt mollissima primis
Corpora, taurino pelles bene consue nervo,
Venerit ut quando glacies, super alta retorquens
Terga geras pluviae vim contra. at vertice summo
Rite laboratus, laedat ne frigidus aures
Humor, stet pileus. borea nam saepe cadente
Gliscit atrox aurora gelu, diffusus et aër
Stellifero a caelo terram super haurit ab amne
Matutinus aquas, rursusque elatus in altum
Turbine ventorum, nigro sub vespere, nimbis

683 . . . . . *at vertice summo* etc. Aut simili in veste aut certe non admodum diversa narrat Homerus in lib. XXIII *Odyss.* fuisse Laërtem inventum ab Vlysse in praedio res rusticas exercentem, postquam interfectis procis ille heros se ad patrem contulit ex urbe profugiens.

686 . . . . . *diffusus et aër* etc. Aëris voce nebulam illam intelligit Hesiodus, quae frigidissima iuxta lacus, roremque in terram demittit. Ceterum post nebulas plerumque aut solet pluere, aut flare.

Aut pluit, aut borea nubes turbante flat idem.
Anteveni, exactoque redi sub tecta labore,
Incumbens tenebrosa polo ne forte morantem
Insidiis capiat nubes, et corporis artus
Irriget et vestem. fuge longe; hibernus ab axe
Scilicet ante alios hic mensis crudior horret
Agricolisque ovibusque malus. quo tempore bobus
Partem deme cibi mediam; vernisque ministra
Plus media tu parte: iuvat nox longior umbris.
  Haec animadvertens perfectis mensibus annum
Labentem caelo serva, noctesque diesque
Aequato, dum terra parens communis in arvo
Omnigenas ostendat opes. iamque ordine certo
Sol ubi sex denos compleverit aureus orbes,
Expuleritque dies hibernos Iupiter, undas
Oceani sacras linquens Arcturus honestum

---

696 . . . . . *quo tempore bobus* etc. Τὸ ἥμισυ hoc est, ut docet Guietus, dimidia pars cibi ordinarii bobus detur δία τὴν ἀεργίαν; homini vero plus dimidia, ut puta dodrans ex asse, hoc est, tres quartae partes cibi ordinarii, quod hyeme ventres calidiores, longarumque noctium quies diuturnior, ac propterea minor cibi indigentia.

700 . . . . . *noctesque diesque — Aequato*, etc. Obscurus Guieto locus, quem ita interpretatur: cibos praebe ad mensuram laboris diurni et quietis nocturnae ita, ut per totum annum dies et noctes aequentur; hoc est, labori dierum alimenta debita quietique noctium respondeant. Nullane heic de aequinoctio verno esse possit suspicio?

705 . . . . . *Arcturus honestum* etc. Per Scaligerum tempore Hesiodi bruma erat circa 7 aut 8 Ianuarii, circaque

Exeret os terris tum primum vespere fulgens.
Post hunc in lucem veniet Pandionis ales,
Incoepto iam vere, iterans miserabile carmen
Mane novo. illam adeo praevertens, namque iuvabit
Sic melius, vites incide: ast arboris altae
In ramos Domiporta solo quum reptat ab imo

10 Martii consequenter oriebatur Arcturus. Ex calculo autem Petaviano bruma incidebat in 30 Decembris, ortusque acronychus Arcturi fiebat in Piscium gradu 14 qui in Calendario Martii v convenit. Ortus autem vespertinus, quem Petavii-tabula exhibet, verus, posterior est apparenti propter luminis refractionem. Ricciolius autem quum supputasset tempus, quo id contingere debuit, invenit fuisse circa annum ante Ch. n. 953. Vide Freretium etiam in *Defens. Chron.* pag. 479 et seq. ex quo colligere poteris omnes stellarum observationes, quae hoc in carmine nominantur, in tempus, quo Hesiodus vixit, perbelle quadrare.

707 . . . . . *Pandionis ales*, etc. Hirundo, de qua multa passim poëtae, quae collegit Sam. Bochartus *Hieroz.* p. II lib. I cap. x quem tu adito.

711 *In ramos Domiporta* etc. *Φερέοικος* cochlea Hesiodo est, non testudo, quae in arbores numquam subrepit. Quam in rem ait Athenaeus lib. II pag. LXIII. *Ἡσίοδος τὴν κοχλίαν φερέοικον καλεῖ καὶ Ἀναξίλας δὲ.*

Ἀπιστότερος εἶ τῶν κοχλιῶν πολλῷ πάνυ,
Οἳ περιφέρουσ' ὑπ' ἀπιστίας τὰς οἰκίας etc.

M. Tullius *De Divin.* lib. II c. LXIV haec habet: *Quid me igitur mones? ut si quis medicus aegroto imperet, ut sumat*

„Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam,

potius quam hominum more cochleam dicere etc. Porro dicuntur cochleae fugere Pleiadas hoc est nimias pluvias, propter quas humo relicta arbores conscendunt.

Pleiadas fugiens, tempus tunc linquere vites,
Ac potius famulosque cie falcesque novato.
Vmbriferas sedes, matutinumque soporem,
Quum sol exsiccat corpus, fuge tempore messis:
Nam satius celerare, domumque referre maniplos
Surgentem primo sub lumine, ne bona curae
Deficiat pars ulla: aurora est tertia semper
Pars operis: ciet illa viam, ciet illa laborem,
Apparensque undis homines et carpere cursum
Et docuit multis iuga rite imponere bobus.
At simul e campis scolymos se floridus effert,

722 . . . . . *scolymos se floridus* etc. Malui dicere *Scolymon* graeca voce servata quam ut vulgo fit, *carduum* latine vertere. Nam Clericus haec affert ex Salmasio ad Solinum p. 161. Graviter errant huius aetatis eruditi ferme omnes herbarii, qui *σκόλυμον* Graecorum persuadere nobis volunt fuisse, quem Latini proprie *carduum* vocabant, nos *articactum*. Hanc saltem differentiam agnoscunt, quod *σκόλυμος* agrestis sit, carduus sativus. Ego genere distingui censeo. *Σκόλυμος* vox graeca est, quae nomen in Latio non habet; ideo *scolymus* latine sua voce vocandus est, non *carduus*, ut faciunt vulgo apud Theophrastum et Dioscoridem. Graeci omnes non solum Paullus et Aëtius, verum etiam Dioscorides ipse *κινάραν* et *σκόλυμον* separant. Atqui certum est *κινάραν* Graecis dici, quem Latini vocant *carduum*, Siculi *κάκτον*. *Scolymus* Graeciae notissimus, unde illud Hesiodi etc. et ex eo Aristotelis *ἐϖὶ σκόλυμῳ*. Hoc florente mulieres libidinis avidissimae. *Scolymum* in cibos Oriens et Graecia receperat. Plinius lib. XXII cap. XXII. *Scolymum quoque in cibos recipit Oriens* etc. et alio nomine *Limoniam* appellavit. Frutex est numquam cu-

Atque arguta canit sub ramis dulce cicada
Concutiens alas, venit aestas plena labore.
Tunc pinguesque caprae, tunc et suavissima vina,
Et matres veneris cupidae, et demissa virorum
Corpora. nam capiti genibusque incumbit adustus
Sirius, extenuatque artus calor. ergo ubi molles
Aut umbrae nemorum aut petrosae rupis hiatus
Invitant, strato placeant et Biblina vina,

bitali altior cristisque foliorum ac radice nigra sed dulci. Eratostheni quoque laudata in pauperis caena. Edulis est potissimum radix, sed et herba adhuc tenella etc. Itaque per hunc fruticem et cicadae cantum aestatem denotat Hesiodus, ut et Aristoteles in *Problematis* ad hunc ipsum respiciens poëtae locum.

730 ..... *et Biblina vina*, etc. Byblinum vinum, inquit Scaliger, cuius meminit Festus et Theocritus, est vinum, cuius vitis delata erat ex urbe Syriae Byblo, ut Romae Nitiobrix. Sed tanti viri pace ego edoctus a Luca Holstenio ad vocem Βιβλίνη, quam Steph. Byzantius docet fuisse nomen regionis Thraciae, a qua vinum Biblinum dictum, scribo non βυβλίνον sed βιβλίνον. Ita vir doctissimus Athenaei fretus auctoritate dicentis lib. I pag. xxxI. Achaeus Biblinum commendat: Excepit Biblini vini poculo. vocatur autem ita a loci cuiusdam nomine. Dicit etiam Philinus:

„ Praebiturum me tibi Lesbium, Chium; papae!
„ Thasium, Biblinum, Mendaeum, ita ut tu non
„ Inebrieris etc.

Epicharmus a quibusdam biblinis montibus vocatum ait. Armenides vero tradit Thraciae partem vocatam esse Bibliam, quam Tisaram et Oesymam dicunt. Thracia quidem ob vini, quod fert praestantiam et vicina ei omnia loca, admirationi fuit: *Naves ex Lemno aderant vinum vehentes*

Et liba, et pressum depulsis ubere natis
Caprarum lac dulce, et pastae terga iuvencae
Frondibus arboreis, necdum ullo germine foetae,
Hoedorumque armi. Lenaei pocula nigri
Plena bibe, omnigenis dapibus saturatus in umbra
Et gelidas zephyri vultum conversus ad auras,
Illimis qua lene fluit fons garrulus undis.
Nec tamen et Baccho nimium tu fide: Lyaei
Infundes quartam, tres puro e flumine partes.
    Interea famulos tritura exerceat acres,
Fulserit ut primum Orion. aequata cylindro

---

etc. Hippias Rheginus, quam vitem tortuosam vocabant, Biblinam dictam fuisse ait, eamque argivum Pollin, qui regnavit Syracusis, primum ex Italia Syracusas invexisse. Quamobrem quod dulce vinum Siculi nuncupant, Biblinum fuerit. Haec Holstenius ex Athenaeo, quae et Clericus exscripsit, et multis aliis confirmavit. Tantum insuper hoc animadvertendum, ex versibus Philini rationem etiam patere, propter quam Hesiodus hoc vinum aestate bibendum admonet, quod tenue esset, nec facile inebriaret. Ceterum erunt, qui generosius vinum aestate praeferant, quod discutere ad medicos pertinet, utrum expediat.

739 *Infundes quartam*, etc. Temperatus quidem potus. Sed in Graecia potissimum finitimisque Thraciae regionibus vina sunt quamplurima, quae magnam aquae possunt vim ferre. Vide Homerum *Odyss.* lib. IX disserentem de illo vino, quod ab Ismaro tulerat secum Vlysses, quoque Polyphemum inebriavit.

741 *Fulserit ut primum* etc. Docet Clericus, Theophrastum in libro de ventis Orionem dicere oriri *ἐν ἀρχῇ τῆς ὀπώρας, δύνειν δὲ ἐν ἀρχῇ τοῦ χειμῶνος*, ibique ὀπώραν

Area sit tereti, perflataque mollibus auris.
Omnia dein mensus, Cereris sacra munera conde
Rite cadis: demum iubeo, quum sede reposta
Messis erit iam tota tibi, conducere servum
Quaerentem sibi tecta, puellam et prole carentem
Addere; quippe gravis, cui nati, ancilla putanda.
Nec te cura canis fugiat, sed dentibus acrem
Semper habe, nec parce cibo. tua limina custos
Ille vigil servabit, opesque haud improbus umquam
Auferet insidiis usus fur noctis amicae.
Collige et arentes paleas, et gramina pratis
Secta refer, mulis, et fortibus annua tauris
Pabula. tum famulos tandem sine corpora fessos
Curare, et meritis iuga solvens deme iuvencis.
Hinc medium quando Orion et Sirius ignis
Attigerint caelum, roseoque aspexerit ore
Aurora Arcturum, tu carpe e vitibus uvas,

---

pro aestate iam inclinata sumere, diebus aliquot a confecto Solstitio. In laterculo Petaviano lucida pedis Orionis heliacum ortum facit Carcinonis xviiI Iulii xiI. Sed addit, Theofrasti aevo et Athenis maturius id factum esse. alia etiam si velis ex doctrina Petavii, ipsum adito.

742 . . . . . *perflataque mollibus auris.* etc. Et Varro et Columella docent, aream esse oportere in agro, loco sublimiore, qua perflare possit ventus.

748 *Nec te cura canis* etc. Vt multa alia, sic etiam hoc Virgilius imitatus est inquiens: *Nec tibi cura canum fuerit postrema* etc..

758 *Aurora Arcturum* etc. Hesiodus ita autumnum significat. Intelligitur vero per Clericum aliosque Arcturi or-

Persa, domum referens, denasque ex ordine luces
Ac noctes totidem phoebaeo expone calori.
Quinque alias luces umbrosa in sede locato;
Sexta autem pressos calcans de more racemos
Conde in fictilibus moestas hilarantia mentes
Munera laetantis Bacchi. mox rursus ut alto
Pleiadesque Hyadesque et vis valida Orionis
Occiderint caelo, cupidum te vomeris ardor

---

tus heliacus, qui incidit in Virginis 27 gradum, hoc est Septembris xxI, quique Hesiodi aevo tempus id aliquot diebus praecedebat. Is est verus ortus; nam apparens aliquanto serius fit.

759 . . . . . . *denasque ex ordine* etc. Animadverte antiquissimam Graecorum diligentiam in uvis curandis vinoque conficiendo. Hinc factum credo, optima habita fuisse eorumdem vina et laudatissima, uti etiamnum maximo sunt in pretio apud multos. Quis tamen huiusmodi curam adhibeat in ingenti uvarum copia? Fortasse et Hesiodus id de selectiori vino praecipit.

765 *Pleiadesque Hyadesque* etc. De occasu Pleiadum superius dictum est. De Hyadum vero occasu haec notat Clericus e Petavii doctrina. Palilium id est lucidissima hyadum in oculo Tauri posita mane occidit in gradu 9 Scorpii Romae, id est Novembris II; quo die Columella Tauri caput occasum facere scribit. At in Aegypto matutinus occasus fiebat in gradu Scorpii 11, Novembris IV. Sed idem Columella Suculam mane occidere ait Novembris xxI, qui est apparens occasus matutinus, posterior vero etc. Vides heic omnia intelligenda esse de occasu matutino seu cosmico. Ita et lucida pedis Orionis stella mane occidit, Scorpii 5, Octobris xxIx Zonae mediae Scorpii 12, Novembris v. Hu-

Sollicitet, rurisque heic desinet annua cura.
Quod tibi si placeat tentare pericula ponti,
Heu male tunc pelago fides, quum Pleias aquosum
Oriona polo fugiens se merserit undis.
Omnia ventorum stridentia flamina fervent,
Nec iuvat undanti tunc pinum in gurgite habere.
Exercere solum praestat, siccoque carinam

---

merus eiusdem dexter Scorpii 21, Novembris XIV. Igitur initio hyemis vere occidere dictus est.

767 ..... *heic desinet annua cura*. etc. Incredibile dictu, quae et quanta in explanando hoc versiculo... *πλείων δὲ κατὰ χθονὸς ἄρμενος εἴη*, graeci Scholiastae effutiverint, quos et Latini quamplures sequuti sunt, sed ineptissime. Hesiodi mens clarissima: ab hyeme incoepit agriculturam: tum quae vere facienda sunt, docuit; absolutis vero, quae ad aestatem pertinent, in autumno desinit; sicque totius anni agrorum cultum concludit, viamque sibi aperit ad alteram oeconomiae partem, id est ad navigationem. Vide Heinsium in libro singulari contra Tzetzem, et in animadversione ad ipsum hunc versum.

768 *Quod tibi si placeat* etc. Tertia oeconomiae pars, seu navigatio, quam fieri vetat Hesiodus Pleiadibus mane occidentibus, quod ut habemus etiam apud Quintum Smirnaeum lib. v v. 367. *Pleias indefessi oceani fluenta subit timens inclytum Orionem: aërem perturbans: pontus vero procella furit* etc. Hoc vero hyeme fit.

771 *Omnia ventorum* etc. Non absimile illud Virgilii: *omnia ventorum concurrere flamina vidi* etc. et illud ... *non illa nocte per altum ire, neque a terra moneat convellere funem* etc. Simplicior in tradendis praeceptis Hesiodus; multo festivior venustiorque Virgilius.

Litore subductam magnis circumundique saxis
Munire humentum ventorum praelia contra
Exhausta sentina, humor ne robora laedat.
Arma domum portans in sedibus omnia claude,
Velorumque legens alas suspende refixum
Temonem ad fumum, dum suscitet aura morantem
Tempestiva polo surgens. tunc litore puppim
Mitte citam properans, atque aptis mercibus imple
Dulce relaturam multo tibi foenore lucrum.
Non aliter genitorque meus, stultissime Persa,
Atque tuus pelagi sulcabat caerula pinu
Indigus: emenso huc etiam qui gurgite venit
Aeoliden linquens Cumam, non ipse bonorum

---

778 *Velorumque legens alas* etc. Νεὸς πτερά: sic etiam Virgilius; *et velorum pandimus alas*. et alio loco remigium alarum dixit etc. Sollemne enim poëtis ea, quae sunt volucrum propria ad naves transferre, et vice versa, non sine elegantia.

786 *Aeoliden linquens* etc. Cuma una ex urbibus Aeolicis, de qua passim Geographi veteres.

— . . . . . *non ipse bonorum* etc. Hi duo versus Clerico videntur gallica nive frigidiores et indigni tanto poëta; adeoque iugulandos delendosque censet, si Aristarchi more in malos versus saeviendum est. Atqui si poëta intellexisset, patrem suum non luxu quodam, ac taedio, quo homines etiam ditissimi afficiuntur, patriam reliquisse; sed paupertatis vi compulsum, qua sua sine culpa opprimebatur, quid in hac re tam vehementer vituperandum esset, plane non video. Negari enim non potest, multos homines incommoda maxima, quae secum fert navigatio, ob solam

Aut pertaesus opum et vitae felicis, at atram
Pauperiem fugiens, homini quam Iupiter infert.
Exigua vero vicini Heliconis in Ascra
Paupere sedem habuit vico, brumaque maligno,
Difficilique aestate, nec aequo tempore in ullo.
Ergo agesis, o Persa, memor tu sidera serva
Apta operi, quodcumque vocat; maris ire per aequor
Praecipue si ducit amor. non grandia lauda
Navigia, ingenti merces impone carinae.
Maius onus lucrum maiori foenore lucro

---

etiam visendarum regionum cupiditatem, libenter suscipere, qui alioquin beatam in patria vitam commodisque omnibus abundantem possent securi degere. Hinc male dicerentur divitiarum opulentiaeque pertaesi? Nonne etiam antiquis illis temporibus piraticam exercere apud Graecos, ut ex Homero aliisque constat, ipsis regibus gloriosum erat? Ceterum alii alia de emigratione Dii patris Hesiodi; quidam debitum, quidam caedem caussantur.

789 *Exigua vero* etc. Ascra vicus *Boeotiae* in ipso monte Helicone, qui quum immineat Ascrae ita, ut hyeme non a solis calore tepefiat, contraque aestate maximos colligat reflectatque calores, quemadmodum habemus ab eorum locorum peritis, nil mirum toto anno habitam esse incolis Ascram incommodam. An etiam dictum id a poëta irato propter iniuriam aliquam ab Ascraeis acceptam? certe poëtae omnes patriam laudant. Vide grammaticos veteres, et Pausaniam in primis, qui Ascrae situm conditoresque memorat.

794 . . . . . *non grandia lauda* etc. Virgilius contra dixit: *laudato ingentia rura, exiguum colito.* uterque iure in sua re, uti patet.

Adiiciet, rapido abstineant si turbine venti.
Iamque adeo, versa in peius si mente per undas
Tendere mercator properas alienaque speras
Reddere solarique famem, te certa docebo
Tempora, queis resoni vastum maris aequor arandum,
Nautica inexperto quamvis mihi gloria desit.
Namque ego non umquam transmisi caerula navi,
Carbasa in Euboeam nisi quando ex Aulide solvi,
Graecia ubi quondam detenta furentibus austris,
Militiae Argivae robur, late undique magnum
Venturum excidio Troiae collegerat agmen.
Amphidamantis ego ad certamina clara profectus

---

798 *Iamque adeo, versa in peius* etc. Hesiodus heic manifeste agriculturam mercaturae praeferre videntur; multoque esse praestantiorem et securiorem agrorum cultum nemo sanus negabit, quamvis fortasse citius ad opes maximas mercaturam exercendo perveniatur.

804 *Carbasa in Euboeam* etc. Euboea continenti vicina: Aulidis vero portus celeberrimus apud poëtas propter expeditionem Graecorum ad Troianum bellum, et Iphigeniae Agamemnonis filiae sacrificium. Vide Euripidem in huius nominis tragoedia. Notissimi et illi versus Lucretiani:

„ Aulide quo pacto triviai virginis aram
„ Iphianassai turparunt sanguine foede
„ Ductores Danaum delecti, prima virorum etc.

808 *Amphidamantis ego* etc. Hic Amphidamas erat Chalcidis rex in Euboea; quumque in bello navali Eretriensium occidisset, eiusdem filii maximo apparatu funus celebrarunt variis propositis certaminibus de more ludisque. Hesiodus vicit cantu, praemiumque victoriae tripodem, quem redux in patriam Musis ille heliconiadibus dicavit, retulit. Si es-

Egregii, undisonam traieci in Chalcida; nati
Multa ubi magnanimi posuerunt praemia pugnae,
Meque adeo dulci victorem carmine vidit
Auritum tripodem ferre admirata iuventus,
Quem rediens sacrum musis Helicone dicavi,

---

set inscriptioni credendum, quam inter alios profert Dion Chrysost. orat. 11 de Regno, non dubium foret, quin divinus fuerit Homerus ab eo victus. Sed totum hoc cum Homero certamen inter fabulas amandandum, ut iamdiu viri doctissimi observarunt, quamquam et versus proferantur et ab Homero et ab Hesiodo tum recitati, et Panides qui erat Chalcidis rex, huius concertationis iudex memoretur, de quo proverbium etiam Πανίδου ψῆφος, quod solet in eos iactari, qui minus sapienter iudicant. Quid? ut alia omittam, tantumne laudis gloriaeque contemptorem Hesiodum fuisse arbitrabimur, ut aemuli a se victi nomen fama per totam Graeciam celebratissimum hoc loco reticuisset modestia videlicet impeditus? Minime sane. At vixerene eodem tempore Homerus et Hesiodus? Certant scriptores, et adhuc sub iudice lis est, quam si ego non satis excussi, fortasse dirimet Aloysius Lantius in suis eruditissimis, quas iamdiu parat in hunc poëtam, disquisitionibus. Quidam posteriorem Homero Hesiodum faciunt, quidam supparem, quidam etiam anteriorem statuunt, quorum mihi placet sententia. Si enim quo quisque simpliciori scribendi genere, nativoque colore quodam, illo quidem purissimo ac minime fucato, crebrioribusque apologis proverbiisque delectatus est, eo antiquior poëta existimandus, plane vetustior Homero mihi Hesiodus habebitur. Vide Epist. doctiss. Com. Carlii ad italicam suam *Theogoniae* versionem, et quae ego in praelectione ex eadem exscripsi.

Qua me sede prius docuerunt carminis artem.
Tantum ego tum naves expertus: nec tamen alti
Ipse Iovis metuam latitantem pandere mentem,
Dulcia Pierides mihi quando carmina donant.
Luces quinquaginta, ubi sol sublimis ab axe

---

814 *Qua me sede prius* etc. Vide an id contrarium iis, quae in principio *Theogoniae* de se ipso narrat poëta.

816 *Ipse Iovis metuam* etc. Omnis a Iove musisque scientia. Itaque recte dicit Hesiodus, quamvis experientia navigandi careat, tamen se posse de arte navigandi bene disserere a Musis edoctum.

818 *Luces quinquaginta*, etc. Clericus suspicatur heic omissos esse a librariis duos versus iam ab antiquis temporibus eo facilius quo per idem verbum incipiebant. Sibi enim persuadere non potest, tam fuisse Hesiodum rei nauticae imperitum, ut omnem navigationem coërcuisset intra quinquaginta dies, quorum initium sumatur ab aestivo Solstitio, quum praesertim ante id Solstitium per totidem dies non minus tuto navigari omnes norint, nec ipse potuerit Hesiodus ignorare mari finitimus. Quamobrem ita supplet.

Ἤματα πεντήκοντα πρὸ ἠελίοιο τροπάων
Ἀσφαλέως γλαυκὴν ἔργάση, αὐτὰρ ἔπειτα
Ἤματα πεντήκοντα etc.

ut est deinde in textu. Qui versus si adessent, ita essent a me latine reddendi:

„ Luces quinquaginta, ante altum Phoebus Olympum
„ Quam tetigit, glaucum mare tutum; aliaeque sequentes
„ Quinquaginta, alto postquam sublimis ab axe
„ Vertit equos etc.

Sed nihil muto, quamvis sciam huiusmodi omissiones a librariis plerasque factas, Hesiodumque in primis foede corruptum ac depravatum.

Vertit equos, progressa ad finem aestate laborum,
Aptae iter ad pelagi mortalibus. haud tibi navem
Fregerit, aut socios demersos hauserit unda,
Ni ferus exitium, terram qui concutit omnem,
Neptunus meditetur, et acrior ira Tonantis,
Quos penes imperium est et iniquae sortis et aequae
Tunc faciles aurae, tunc et tranquilla per alta
Ridet laeta quies; ventis tunc fretus in aequor
Solve ratem, cunctis intus tibi rite locatis.
Quamprimum vero festina invisere sedes,
Nec Bacchi expecta lentus nova dona, nec udum
Autumnum, properamve hyemem, neu flamina diri
Saeva noti, qui turbat aquas maris usque nigranti
Imbre per autumnum gravidus. furit aspera ponti
Tempestas excita, et inhorruit unda sub illo.
Vernum iter est aliud, quum primum garrula cornix
Quanta premit sicca pedibus vestigia arena
Incedens, folia aspicies pubescere tanta
Frondifera e ficu. tum pervius aequore cursus
Scilicet, ast illum nullus persuadeat auctor;
Namque animo haud placitus: quod capto et tempore tantum
Invadenda via est, et crebro obnoxia damno.
Id quoque non hominum renuit genus, unaque stultis
Est anima illa avido quaesita pecunia corde,
Sit miserum quamvis in fluctu occumbere. sed tu

---

842 *Est anima illa avido* etc. Pecuniam avaris dominari, ante virtutem esse, reginam haberi, et similia passim apud scriptores invenias: ipsam vero esse animam, elegantissime dictum a solo, quod sciam, Hesiodo.

Haec tecum mea dicta iterumque iterumque volutans
Omnia, consiliis adhibe melioribus aures.
Haud quantum est tibi cumque, carinae crede: relinque
Plura domi, imposita contentus parte minori,
Triste etenim tumidis in fluctibus omnia cogi
Perdere. triste etiam, si quando pondere grandi
Imposito plaustris, curvatum fregeris axem,
Atque onera intereant. medium re cautus in omni
Quidquid erit, serva; semper fert optima tempus.
Accipe et haec monitus vitae praecepta beatae
Post maris insidias. thalamo tibi iungere praestet

851 *Atque onera intereant*. etc. Displicet Clerico τὸ ἀμαυρωθείη, quod est proprie obscurentur, vertere intereant, malletque dicere corrumpantur. Sed non persuadet: itaque nihil de vocula sollicitor.

— . . . . . *medium re cautus* etc. Quamquam μέτρα φυλάσσεσθαι dictum putet Heinsius heic de tempore tantum opportuno ad navigandum; ego tamen generatim hoc praeceptum accipiendum duco, praesertim quum poëta proxime vetuerit et navim plus aequo onerare, et nihil domi relinquere et similia, quae sunt omnia damnis periculisque obnoxia maximis, si fiant.

853 *Accipe et haec* etc. Hunc ego versiculum addendum putavi, ne ullo sine nexu transitus fieret a rebus nauticis ad res diversissimas. Latinorum poëtarum minor, quam Graecorum libertas aut potius quaedam audacia, qua subito in ea, quae dicenda sunt, insiliunt. Pindarus inprimis huiusmodi est, ideoque obscurior vulgo habitus.

854 . . . . . *thalamo tibi iungere* etc. Absolutis breviter quae ad navigationem pertinere videbantur, iterum ad praecepta moralia delabitur poëta, quae non agricolis solum,

Tum sociam maturo, aetas quum certa nec annis
Ter denis aberit multo minor illa, nec ipsos
Multum adeo superans excesserit: optima iusto
Coniugio haec aetas. quarto pubescat in anno
Post decimum mulier, nubat dein grandior uno.
Virgo autem placeat non ante experta hymenaeos
Connubio socianda tibi, quae vivere castis
Moribus assuescat. praesertim delige, tectis
Quae vicina tuis habitat, prius omnia rite
Disquirens, circum ne quid vicinia musset.
Nil certe melius digna vir coniuge terris
Possidet, indigna nil durius. effuge mensas
Quae sequitur; frustra facibus sine fortia torret

---

sed omni hominum generi sunt accommodata, incipitque a statuenda idonea ad matrimonium aetate, quam annorum triginta in homine requirit, annorum quindecim in muliere. Pollux τέτορ' illud in textu graeco quatuordecim exponit. Plato vero et Aristoteles constituunt puellae decimum octavum nubendi annum.

865 *Nil certe melius* etc. Hinc illud Simonidis apud Clementem Alexandr. strom. lib. VI.

Γυναικὸς οὐδὲν χρῆμ' ἀνὴρ ληΐζεται
Ἐσθλῆς ἄμεινον, οὐδὲ ῥίγιον κακῆς etc.

passim etiam apud alios similia.

866 ..... *mensas — Quae sequitur;* etc. Turpe habebatur apud Graecos, uti et nunc apud orientales omnes, si conviviis mulieres interessent; nec in aliorum domos, nisi propinquissimorum, ducebantur. Quae contra faciebant, eae putabantur inhonestae. Lege Corn. Nepotem in Prooemio.

867 ..... *frustra facibus sine* etc. Suspicor dictum de impotenti mulieris impudicae complexu, quae sine facibus

Membra viri, traditque citae defessa senectae.
Vsque deos colito veritus, fratrique sodalem
Haud facito aequalem. quod si vel feceris, illum
Ne prior afficias damno, cave, neve lacessas.
Gratia mendacis linguae sit nulla: loquutus
Quod si quis fuerit quid laevum aut fecerit idem,
Bis tantum punire iuvet. sin rursus amatam
Poscat amicitiam, cupiatque rependere poenas,
Suscipe. namque alias alium vir reddit amicum

---

idest sine fructu hominem fatigat. Nihil melius invenio. Nisi forte sit illud *sine face* intelligendum, huiusmodi mulierem, quamvis nihil in aperto et luce faciat, suo quod viro noceat; tamen multa clanculum audere, quae viro possint displicere, et esse etiam detrimento.

869 *Vsque deos colito* etc. Diis reverentiam adhibeudam, amicitias non temere faciendas, factas autem, servandas praecipit; multas enim ob caussas nocent, si dirimautur.

873 *Quod si quis fuerit* etc. Id non placet: meliora illa, quae de amicitia et auctor Pythagoraeorum versuum et M. Tullius docuerunt, quorum alter inquit, non esse odio habendum amicum propter exiguum peccatum; alter vero, quae tolerabilia erunt, ferenda esse; et hunc honorem veteri amicitiae tribui vult, ut is in culpa sit, qui faciat, non qui patiatur iniuriam. Isti recte quidem; nisi forte et Hesiodus benigniorem quamdam mereatur interpretationem.

876 ..... *namque alias* etc. Haec non referenda ad superiora dicit Guietus, sed ad sequentia. Non video qua ratione. nam quod sequitur: *numquam mentem color arguat oris* seu quocumque modo graeca interpretemur, semper obscurum erit ac dubium, dictumne id de dissimulatione, an de falsa amicitia etc.

Infelix; numquam mentem color arguat oris.
Non multum indulge hospitibus, nec nullius hospes
Esse velis: pariterque malo comes ire recusa,
Iurgatorque bonis dici. non ingere cuiquam
Pauperiem coram memorans, aut tristia damna
Obiice ludificans: etiam haec sunt munera divum.
Optimus est homini thesaurus lingua, sed illa
Parca; nihilque, modum si servet, gratius ore.
Si male quid dicas, maiora audire coactus
Irascere cito. numquam morosus amicos
Convivas inter multos conviva reposce,
Quod pretium fors cuique dedit; nam gratia contra
Plurima continget, iacturaque parva putanda.
    Mane Iovi libans nigrantia vina, caveto
Illotis libes manibus, nullique deorum

---

878 *Non multum indulge* etc. Idest ne nimius sis. haec autem digna, quae etiam in hac morum optimorum luce imitemur.

882 *Obiice ludificans:* etc. Sapienter. Nam quid amarulentius esse possit quam iocari in aliorum miseriam? Sapienter etiam quod sequitur de lingua. Nam qui multum loquitur, fieri non potest, ut semper optime loquatur.

888 *Quod pretium fors cuique* etc. De symbolis poëta loquitur non importune exigendis. Id enim vehementer inurbanum.

890 *Mane Iovi* etc. Diis caste sacrificandum: hinc illae veterum frequentissimae ablutiones apud Homerum et Virgilium. Illotis autem manibus etiam in proverbium abiit in eos dici solitum, qui aut imparati aliquid facere aggrediuntur, aut eius rei quam suscipere volunt, omnino ignari sunt.

Id facies: neque enim tum vota audire precantum
Vlla, sed irati potius contemnere suerunt.
Spernere quis tentet solem? conversus ad illum,
Seu petat occasum fugiens, seu surgat in ortu,
Erectus ne minge. nefas, medioque viarum
Progrediens, extraque viam si feceris, ipsa
Nudatus vel nocte artus: nox ipsa deorum est.
Id facit aut residens, cui prudens pectore virtus,
Parte in secreta, aut succedens undique septae
Parietibus caulae. nec, si fors turpia passus,
Detege foedatos immundi corporis artus
Ante focum; nec item rediens a funere tristi,
Sed potius divum a dapibus, tibi germina prolis
Certa para thalami ingressus penetrale repostum.

---

894 *Spernere quis tentet solem?* etc. Haec paucula verba a me addita, ut latina clarior fiat sententia. An hoc proverbium in eos, qui quum nulla in re praestant, potentioribus nobilioribusque non dubitant obtrectare; an quaedam potius superstitio? Certe Claud. Salmasius male intellexit hunc locum, atque idcirco a Petavio castigatus est. Sed heic diutius immorari non operae pretium mihi videtur. Itaque alios si placet interpretes adito, multumque cuiusdam eruditionis videlicet reconditae referes perlecta Part. I lib. II cap. 56 *Hieroz.* Samuelis Bocharti.

903 *Ante focum;* etc. Nam apud hunc erant dii Penates, focusque, ut ait Proclus, habebatur tamquam ara domestica, in qua fiebant libationes.

904 *Sed potius divum* etc. Male ominosum erat liberis operam dare post funus; faustum post aliquid laetum. Sed haec et quae sequuntur plena superstitionis.

Iam fluvios non ante gradu transire perennes
Ausis, quam ad sacri conversus numina fontis
Laveris irrigua palmas in fluminis unda.
Quippe aliter si rore manus contemseris hausto
Spargere, di poenas irati et dira parabunt
Supplicia illoto seros ventura per annos.
Nec siccum a viridi sollemni in honore deorum
Nigranti reseca ferro conversus ad ungues;
Nec calices umquam crateri impone bibentum,
Exitiale subest nam fatum: ubi condere tecta
Coeperis alta, cave imperfecta relinquas,

---

906 *Iam fluvios* etc. Et ipsi erant sacri, et numen habere credebantur: idcirco iisdem supplicandum iter facienti, ut bene fausteque omnia procedant.

912 *Nec siccum a viridi* etc. Reddere hunc volui versum ipsa usus Hesiodi metaphora, addidi autem *conversus ad ungues,* ut esset minus obscura. Ceterum non modo id in convivio sollemni deorum nullo pacto faciendum, sed ne in familiari quidem mensa inter cognatos aut amicos. Πέντοζον vocat manum quinque digitis constantem quasi quinque ramis.

914 *Nec calices umquam* etc. Si haec ad urbanitatem referantur, fortasse toleranda sint; sed quum ad religionem spectare videantur, anili superstitione digna sunt. Multum quidem laborat Proclus, sed frustra, ut aliquam commodam afferat explicationem. Animadverte etiam ollas et cetera vasa, quibus utebantur huiusmodi homines, lustrari solita. Illud etiam superius, de non imponendis calicibus crateri, intelligi forte possit oeconomiae praeceptum: si enim crateri impositus sit calix, quicumque velit, facile haurire potest, seque largius, quam deceat, exhilarare.

Ne residens crocitet deserto in culmine cornix.
Nondum lustratis epulas qui raptat ab ollis,
Ereptasque vorat; quique undas haurit ab ipsis
Loturus sese, ciet ipsi haud lenia damna.
Ne puer annorum bis sex tibi forte sepulcris,
Quae vetitum movisse loco vel tangere cuiquam,
Assideat, neque enim fas est. id reddit inertem
Nempe virum: pariterque nocet, duodena volutae
Tempora si lunae primo compleverit aevo.
Femineo in solio ne tingite corpora lymphis

---

921 *Ne puer annorum* etc. Proclus τὰ ἀκίνητα interpretatur sepulcra, quae movere nefas erat. Hunc ego sequutus sum haud ignarus eodem iure posse, ut ait Clericus, terminos significare. Hac de re plura, quam oportebat, veteres Scholiastae. Heinsius autem sus deque vertit hos versus: corruptos enim esse et male dispositos arbitratur. Itaque sic interpungit: „ neque super immobilibus locato (non enim bonum est) neque muliebri lavacro corpus purgare puerum sinas duodecennem, quia masculos enervat, neque duodecim mensium: nocet et illud aequali modo viro: dura enim suo tempore et hanc rem sequitur poena etc. „. Quorsum haec vulgatae lectionis tanta turbatio? ut probabilior clariorque eniteat sententia. Atqui profecto, quidquid affertur de balneis in Atheniensium institutione, eodem modo et obscura est et inanis, cuius numquam certa reddi poterit ratio, nisi ad meram superstitionem confugias. Tam enim est insulsum ac ridiculum praecipere non deponendos sepulcris pueros duodecennes et duodecim mensium, quam in hac omnino aetate non lavandos in muliebri balneo. Igitur nihil mutandum censeo.

926 *Femineo in solio* etc. Hoc praeceptum viguit for-

Vestra mares; nam deinde gravis vos poena sequetur.
Obvius accensas ubi sacra ardere per aras
Videris, arcanos metuas reprendere ritus;
Haec etiam indignans odit deus. aequor in altum
Seu properet fluvius, seu fons argenteus undis
Murmuret, ingrato foedare ah parce veneno
Exonerans te nempe gravem. quid talia prosint
Ausa, quid immundo lymphas corrumpere coeno?
In primis moneo vitare nocentia famae

---

tasse apud Graecos Hesiodi tempore: nam Clemens Alex. contrarium in usu fuisse postea docet, exprobratque Paedag. lib. III cap. v inquiens: „ Licet autem aliis volenti- „ bus, quae domi sunt inclusae, nudas videre in balneis; „ heic enim se exuere spectatoribus tamquam corporum „ cauponibus non erubescunt. Sed Hesiodus quidem corpus „ femineo non exhilarare lavacro suadet. Viris autem et „ feminis communia aperta sunt balnea etc. „ sic ille, ubi etiam videtur receptae favere lectioni, quum nullam puerorum duodecennium aut unius anniculi, sed virorum mentionem faciat. Dictum vero id fortasse ab Hesiodo, quod aqua, quae lavandis mulieribus inserviebat, erat tepidior, ideoque poterat minus fortes ac vegetos efficere mares nondum adultos, sed etiamnum pueros, et communem cum matribus habentes δίαιταν, τροφὴν, οἶκον, idest Gynaeceum.

931 *Seu properet fluvius*, etc. Proclus ait, Plutarchum hosce versus delendos censuisse. Atqui fortasse saniores, quam alii multi, quum possit aliqua probabilis afferri caussa, cur id faciendum vetet poëta, praesertim si fluvii sint aut fontes, ubi incolae aquantur.

935 *In primis moneo* etc. Malam esse hominibus vitandam famam, omnes norunt; at in eamdem recta etiam facientes et quae a nobis virtus postulat, exsequentes incur-

Murmura: fama mala est, facile se tollit ab imo
In sublime levis; ferre illam et ponere durum est:
Nec perit ulla, homines quam multi spargere certant
Vndique vulgantes; quaedam est dea nempe vel ipsa.
Interea servans labentes ordine luces
Ab Iove, rite tuis, quae sint peragenda, ministris
Praecipe. lux mensis tricesima quaeque laborem
Inspicere, et mensum in partes partirier aequas
Optima, quum populis iudex dat iura vocatis
In coetu, resonatque forum clamoribus omne:
Ipse deum gaudet genitor, Saturnia proles.

---

rimus. Hinc illud Virgilianum: *Fama malum quo non aliud mortalibus ullum* etc.

940 *Interea servans* etc. Vltima carminis huiusce pars de dierum doctrina, quam licet aliqui ab hactenus dictis separent, ego tamen continuandam arbitror, quum totum poëma sit *Opera et Dies*. Sed haec omnia superstitiosis astrologis et philoseleniacis fortasse donanda philosophis, quibus in tanta etiam philosophiae luce haec nostra aetas ipsa non prorsus caret.

941 ..... *rite tuis*, etc. Petronius memoriae tradidit c. 30 fuisse apud Romanos etiam in nonnullorum tricliniis tabellas affixas, in quibus qui dies boni quique mali essent, notatum erat.

944 ..... *quum populis iudex* etc. Tempore nimirum antemeridiano; ut ex Homeri *Odyss.* aliisque scriptoribus evincit Scaliger.

946 *Ipse deum gaudet* etc. Heic interpretes diversi in diversa abeunt. Egone mentem poetae assequutus? timeo vehementer, ut quod sentio, fatear. Hoc tantum dicam: in mea interpretatione constare integram sententiam, si hic versus ad superiores referatur, quemadmodum illa caussa-

Prima tibi lux sacra, et quarta, et septima: Apollo
Hac satus aurato cinctus latus ense decorum
Latonae partu est. octavaque nonaque mensis
Vtraque crescentis fauste mortalibus apta.
Sic quoque et undena, et veniens duodena putanda,
Haec bona tondendis ovibus, flaventibus illa
Frugibus aestivos per campos falce secandis.
Sed melior duodena tamen: namque aëre pendens
Stamina tum properat sublimis aranea ramis

lis particula γάρ in textu graeco referendum monet. Quid enim prohibet dicere, Iovem gaudere hominibus veritatem seu ius agitantibus in foro? Vide quae ad hunc locum habet Heinsius contra Politianum, Proclum, et Tzetzem. Sua cuique placent.

947 *Prima tibi* etc. Guieto πρῶτον ἔνη est τριάκας seu dies tricesima: sed Scaliger liquido ostendit, ἔνην vocatam esse tempore Hesiodi primam mensis; Solonem autem omnium primum dixisse τὴν τριακάδα ἔνην καὶ νέαν. Porro Graeci tres in decades mensem dividebant ita ut dies primae decadis ἱσταμένου dicerentur, secundae μέσουντος, tertiae φθίνοντος etc. Placet id in antecessu adnotasse.

— ..... *Apollo - Hac satus* etc. Diogenes Laërt. in *Vita Platonis* ait: nascitur Plato Thargelionis septimo, quo Delii natum Apollinem dicunt etc. Idcirco omnium mensium septimus dies Apollini sacer.

954 ..... *namque aëre pendens* etc. Araneum in aëre suspensum nere fila ἤματος ἐκ πλείου idest die pleno seu adulto, dicit poëta. Ego illud die adulto seu pleno omisi, quod satis intelligatur fieri in diebus aestivis, qui non dimidiati sed pleni dicebantur. Guieto est meridies quemadmodum et Scaligero. Sed quis dicat meridie tantum et araneos nere et formicas grana colligere? Ineptiis non sunt

Tendere, tum magnos formica attollit acervos
Haud hyemis frustra memor et praesaga futuri.
Hac iuvet ordiri telas, hac sedula virgo
Coeptet opus. decimam post mensis tertia primum
Quae venit orta, satis contraria. semina mitte
Spargere: felices truncis sylvestribus illa
Inserere utilius ramos; favet optima plantis.
At decimam post sexta, ubi iam decrescere luna
Incipit, arboribus laeva est; prolique virili
Vtilis. haud aeque teneras amat illa puellas;
Gignendisque adversa micat, thalamoque iugandis.
Haud quoque femineo generi bona prima creando
Sexta oritur. molles illa felicius hoedos,
Lanigerosque ovium foetus castrabis, et altis
Sepibus infixis circum stabula undique claudes.
Haec eadem iuvat usque mares, et iurgia gaudet
Ingerere, et falsa mendacia fingere lingua,
Molliaque, ac caeca melius latitantia nocte

---

ineptiae addendae: absurdum satis, eo fieri haec potissimum die, affirmasse poëtam.

958 *Hac iuvet ordiri* etc. Hesychius dicit, *ἱστοὺς* vocare Graecos erecta illa ligna, quibus stamina intenduntur ad telam faciendam. Latinis est iugum, et Catoni tela iugalis. Itaque in ordienda tela oportet primum telae pedes erigere, et iis iugum imponere, quod Ovidio est, telam iugo iungere, Hesiodoque *ἱστον στήσαθαι* etc.

959 . . . . *decimam post mensis tertia* etc. Cur haec omnia, videat Hesiodus, et qui cum ipso velit desipere.

967 . . . . . *prima creando – Sexta oritur*. etc. Idest sexta dies primae decadis seu mensis *ἱσταμένου*.

Verba loqui, lenes quando vocat hora susurros.
Mensis at octava caprum tu luce, bovemque
Castrato implentem magnis mugitibus auras:
Praevalidis duodena est mulis aptior. illa
Ante alias placeat, bis deno mensis in ortu
Quae venit, ac pleno nitet orbe. aptissima prolem
Ferre marem est, aequis naturae moribus aucta.
Ipsa viris etiam decima utilis; utque puellis
Post decimam quae quarta subit. tenerasque bidentes
Flexipedesque boves, et dentibus aspera saevis
Secla canum, mulosque hac luce audire vocantum
Imperium, durumque pati tu coge laborem.
At quartam mensis, vel desinit ille, vel orbem
Ad medium properat, multa vigil arte caveto,
Tristibus heu curis animos acrique dolore
Ne crucies; sacra est. tibi vincla iugalia portans
Servatis avibus de more, ubi quarta corusco
Lux aderit caelo, subeat tua limina coniux.
Sed fugito quintas; namque omnes omine tristi

---

974 . . . . . *lenes quando* etc. Κρυφίους τ' ὀαρισμοὺς ego intellexi iuxta illud Horatii Flacci:

„ Lenesque sub noctem susurri
„ Composita repetantur hora etc.

Quae de quarta die dicuntur, aliter verti quam ceteri interpretes latini, optimam Graevii explicationem sequutus.

992 *Sed fugito quintas;* etc. Virgilius in eamdem rem habet: *quintam fuge; pallidus Orcus, Eumenidesque satae* etc. An et in Virgilio scribendum Horcus, non Orcus, quemadmodum putat Clericus, et ego iam superius animadverti? Sane ita faciendum: nam Virgilius videtur ha-

Difficilesque gravesque. illis est fama catervas
Eumenidum late terras errare per omnes,
Suppliciisque agitare homines immitibus Horci,
Quod mala periuris genuit Discordia monstrum.
Septima post decimam Cereri favet: area fruges
Ventilet ad zephyrum versas, et montibus altis
Robora deiiciat ferrum, quaeque apta cubili,
Quaeque olim valeant casus perferre marinos:
Incipe sed quarta fragilem tibi condere cymbam.
Nona autem decimam post lucem, ut pronus in aequor
Phoebus vergit equis, melior. sed nona priores
Ante decem, aequa homini, nullique obnoxia fraudi,
Vel tegere arboribus campos, vel certa parare
Germina si placeat: non votis obstitit umquam.
At pauci norunt, decimam post tertia quantis
Sese muneribus iactet, quae commoda portet,
Optima, seu caesis intexere dolia lignis,
Seu iuga iumentis, bobusque imponere coeptes,
Atqué alto celêres domitare in pulvere mannos.
Hac etiam in pelagus nigram deducere pinum
Luce iuvat: pauci tamen illi fidere suerunt,
Veracemve putant. decimam post solvere quarta

buisse prae oculis hunc Hesiodi locum, quum ea scriberet; et nullus poëtarum Plutonem seu Orcum esse Eridis filium dixit et iurisiurandi praesidem. Itaque distinguenda ea nomina, Orcusque seu Pluto sine aspiratione scribendus, filius hic Discordiae cum aspiratione.

1002 *Nona autem* etc. Adverte, non solum dies omnes non esse aeque felices, sed eosdem etiam dies alios post meridiem feliciores alios mane. Quo quid ridiculum magis?

Ora cadis praestat: lux omnes anteit illa
Sacra deis. alii contra post denique lucem
Vicenam id faciunt, roseo quum fulget Eoo
Exoriens aurora: eadem nam vespere ab atro
Deterior nocuae mala semina colligit aurae.
Scilicet hae superum dono mortalibus aegris
Luces fata ferunt: mediae sine sorte relictae
Nil possunt, aliusque aliam vir tollere certat
Laudibus; at pauci caussas deprendere norunt:
Saepe eadem mater lux est eademque noverca.
Illum ego felicem fortunatumque putarim
Ante alios unum, qui rite haec omnia prudens
Et sciat et servet dis carus; certaque captans
Auguria e caelo, male noxia crimina vitet.

1024 *Saepe eadem mater* etc. En uno pene versiculo aut destructam omnem de fastis diebus, ac nefastis doctrinam, aut inutilem eorumdum dierum observationem redditam. Recte igitur Heraclitus reprehenderat Hesiodum, inanes huiusmodi fabellas merasque nugas, ut sapientior caeteris hominibus videretur, voluisse populo tamquam res alicuius momenti venditare. Apparet etiam Plutarchum, in quodam commentario ad hoc ipsum poëtae carmen, egisse de hac controversia, utrum scilicet alii sint habendi dies fausti, alii vero infausti, in vitaque Camilli ostendit iisdem diebus et laeta saepe et adversa contigisse.

1027 *Et sciat et servet* etc. Optima sententia, si a vano deorum cultu ac superstitione ad veram sanctamque religionem transferatur: pietas enim si negligatur ut est infortuniorum caussa, ita si diligenter excolatur, maximae certaeque felicitatis origo est.

HESIODI

ASCRAEI

SCVTVM HERCVLIS.

AD LECTOREM

DE HOC ALTERO

HESIODI POEMATE

QVOD

SCVTVM HERCVLIS

INSCRIBITVR.

Constat quidem, ait Clericus, hoc poëma esse *ἀκέφαλον*, quomodocumque primam voculam legamus; sed quaenam desint et quam multa minime constat. Docet nos Hesiodus ipse duobus ultimis *Theogoniae* versibus, se scripsisse de altero illo Heroum genere, qui a diis ex mulieribus geniti credebantur, eiusque operis non raro meminerunt veteres, ut vel ex fragmentis liquet. Horum autem heroum quum longe praestantissimus esset Hercules, non absurde forte quis coniecerit hoc poëma, cuius maxima parte describitur *Clypeus Herculis*, esse maioris illius *ἀϖοσπασμάτιον*; quod tamen fragmentum, quasi opusculum distinctum ab eo quod dixi, ad nos pervenit. Certe tria potissimum poëma-

ta Hesiodi solent memorari, inter quae *Heroogonia* recensetur, non *Scutum*. Maximus Tyrius Dissert. xvI haec habet: *Hesiodus quidem seorsim Heroum, a mulieribus initio facto, recensuit genera, et ex quanam quisque natus fuerit. Seorsim vero poëmate descripta ab illo est Theologia una cum Theogonia. Seorsim denique vitam iuvant opera quae facienda, et dies quibus facienda*. Hactenus Clericus, amice Lector, cuius verba exscribenda putavi: eadem fere reliqui omnes interpretes habent, ex (1) quibus etiam nonnulli dubitarunt, utrum esset Hesiodi, an alterius antiqui scriptoris hoc poëma. Sed ego omissa huiusmodi controversia, quae certo dirimi dissolvique nequit, ad meam venio interpretationem. Haud primum nunc latinis versibus a me redditum hoc poëma in lucem prodit: aliquot iam elapsi sunt anni, ex quo Senis in Etruria vulgatum est, ut antequam *Odysseam* in manus hominum emitterem, haberetur aliquod meae rationis interpretandi exprimendique graeca latinis carminibus specimen, ac veluti tentamen. Integrum tunc imprimendum,

---

(1) Vide eorum nomina diversasque sententias in *Bibl. Graec.* lib. II cap. VIII apud Fabr.

prout exstat nimirum in Hesiodi editionibus, curavi, inscripsique Alfonso Marsilio doctissimo viro mihique amicissimo. Post autem mutato consilio, priores versus quinquaginta septem, qui ad Alcmenam Iovisque et Amphitryonis cum eadem congressu pertinent, relinquendos duxi; multoque satius incipiendum esse arbitratus sum ab iis versibus, quibus narrat poëta Herculem, quum ab eodem Cycnus esset visus in luco Apollinis, sese ad pugnam parasse. Sic enim duo consequutus esse videor, ut relictis prioribus illis versibus et integrum legentibus appareret poëma, et commodius haberet initium. Ego quidem iamdiu in ea sum opinione, eodem modo nimirum fuisse hanc *Heroogoniae* (1) partem dictam *Scutum Herculis*, quemadmodum *Iliadis* pars illa, quae graecarum navium enumerationem habet, est appellata *Boeotia*. Partem hanc esse novimus *Iliadis*, quod maximo musarum bono tota superest legiturque *Ilias*;

(1) *Heroogonia* in plures erat distributa catalogos: Aspis seu *Scutum* ad quartum fortasse pertinebat, ut est in Scholiis, quae in Aldina editione Aspidi subiiciuntur. An vero *Heroogonia* diversum opus a mulierum catalogo? Hoc etiam dubio non carere videtur. Vide Fabr. in lib. II c. VIII *Bibl. Graec.* Quid quod et Eustathius et Pseudo-Didymus postremam partem Iliad. Σ' vocant Α'σπιδόποιίαν?

Heroogonia Hesiodi seu aliud huiusmodi carmen, cuius erat pars pugna Herculis cum Cycno, quum iniuria temporum perierit, fragmentum quod superfuit, *Scutum Herculis* inscriptum fuit. Ceterum ne et priores versus, quos resecandos putavi, desideres, heic subiiciam, quales in Senensi exstant editione.

Qualis agenoreas patria procul urbe relicta
Amphitryona sequens Thebarum venit ad arces
Egregii Alcmene clarum genus Electryonis;
Femineo quae pulcra choro praestabat in omni
Ore habituque? olli mortali sanguine nulla
Ingenii laudes poterat contendere virgo,
Spirabatque nigris oculis nigroque capillo
Tale decus, spirat paphio quale aurea luco
Ipsa suos Cytherea adiens quum visit amores.
Atque eadem, quanto non arserat ulla priorum,
Sollicito cari flagrabat coniugis igne,
Ille licet miserae stravisset funere patrem
Irascens in caede boum. quo tempore supplex
Finibus e patriis Cadmaeam venit ad urbem
Hospitio exceptus pulcra cum virgine, ubi aegram
Duxit acidaliae Veneris sine munere vitam
Amphitryon. neque enim carum fas ante cubile
Scandere erat, geminos nymphae quam maximus ultor
Placasset bello fratres, ferroque superbas

Teleboum Taphiumque arces vastasset adortus.
Sic animo fixum: promissi numina testes
Adfuerant, quorum veritus contemnere numen
Maturabat opus, quod Iupiter ipse probarat.
Ergo illum studio pugnae succensa iuventus
Omnis equum domitrix sequitur Boeotia, et omnes
Certatim Locrique viro se adiungere gaudent
Phocensesque una: una tantas dux ipse catervas
Laetus agit, mediisque ardens exsultat in armis.
At pater ille hominum divumque aeterna potestas
Secum aliam tacito volvit sub pectore curam
Progeniemque parat, possit quae vincere Martem.
Id meditans celansque dolos discedit Olympo,
Furtaque nocturnus Veneris molitur. ad altum
Iamque Typhaonium, iam Phicion alite cursu
Celsus abit, residensque opera admiranda volutat.
Nec mora fit: captus nymphae Mideatidis igne
Concubuit furtim votoque potitus amato est,
Amphitryon qua nocte redux victricia bello
Arma domum referens devicto venit ab hoste.
Non famulos prius ille suos, non visere gaudet
Pastores, quam nota adeat penetralia nymphae:
Tantus amor cupido gliscit sub pectore regis!
Ac veluti saevo qui longi elapsus ab aestu
Convaluit morbi, captiva aut vincula fugit;
Sic alacer laetusque animi iam marte solutus

Intulit optato longum vestigia tecto
Amphitryon, fruiturque datis non ante hymenaeis
Idalium carpens florem, cythereia dona.
Iamque adeo magni revolutis mensibus orbis
Nympha simul furtim summo Iove plena, simulque
Egregio commixta viro duo germina partu
Edidit, haud uno prognatos robore fratres.
Deterior namque alter erat, qui sanguine cretus
Mortali; longe contra praestantior alter
Magnanimusque, ingensque. tuo de semine Iphicleus
Prodiit, Amphitryon: dia Iovis editus alter
De stirpe Alcides hèros, qui te quoque, Cycne,
Marte satum quondam crudeli caede peremit.
Viderat hunc Phoebi etc.

Tu ipse profecto his perlectis versibus consilium laudabis, opinor, meum, industriamque probabis. Quod si et placebit, ut hoc poëma imposterum non *Scutum Herculis,* sed *Pugna Herculis cum Cycno* inscribatur, minime pugnabo, immo potius libenter assentiar. Meo tamen arbitrio id facere non ausim: vereor enim antiquitatis auctoritatem. Itaque idem nomen servetur, forma tantum mutetur. Haec habui, de quibus te admonerem, amice Lector; tu me ama valeque.

HESIODI

ASCRAEI

SCVTVM HERCVLIS.

Viderat inventum Phoebi iaculantis opaco
In nemore Alcides Cycnum cum Marte, coruscum
Aere renidenti, iactantemque ignea circum
Fulgura sublimi e curru. cavat ungula pulsu
Quadrupedante solum, superas it nimbus ad auras
Pulveris excitus volucrum vi subter equorum,
Stridentesque gemunt currus. iam gaudia Cycnum
Sollicitant, magnique Iovis demittere letho
Progeniem aurigamque ardet spe laetus, et armis
Daedaleis multa victor cum laude potiri.
At vota Arcitenens risit sperantis, et illi
Obtulit indomiti saevus contra Herculis arma.
Iamque omnis late lucus Pagasaeaque Phoebi
Ara relucebat Cycni venientis ab aere,
Iactabantque oculi flammae iubar acre. quis olli

Vers. 2 *In nemore* etc. Hoc Apollinis nemus erat in agro Pagasaeo ad septentrionem sinus Pelasgici.

— ..... *Cycnum* etc. Heroem nempe ex muliere et deo Marte genitum, qui rapinis et caedibus in eos saeviebat, qui Apollini dona ferre per ea loca consueverant.

Obvius armato contra se impune tulisset,
Ni validus bello Alcides, Iolaus et acer,
Queis invicti animi, fortique ingentia tergo
Brachia, et indomitae stabant in corpore vires?
Ac prior Alcides tum sic affatus amicum est:
O Iolae, mihi ante alios carissime, magnos
In superos, alti premitur queis limen Olympi,
Peccavit pater Amphitryon, quum venit ad arces
Thebarum linquens Tirynthia moenia, postquam
Irascens in caede boum Electryona peremit,
Atque adiit Creonta atque Eniochen formosam.
A quibus hospitio exceptus, quae munera cumque
Supplicibus fas iusque sinunt concedier ultro,
Multa tulit, claroque super donatus honore
Vixit ibi cara cum coniuge. mox ubi tempus
Advenit, vitae in superas prodivimus auras
Nec simili ingenio nec eodem robore creti
Ipse paterque tuus, cui Iupiter abstulit omne
Consilium. nam tecta procul patriamque relinquens

17 .... *Iolaus et acer*, etc. Iphicli filius, et Herculis auriga hac in pugna.

23 *Peccavit pater* etc. Amphitryon occiso Electryone exsul venit Thebas cum Alcmena: a qua urbe profectus cum exercitu vicit Taphios et Teleboos. Quo tempore Iupiter concubuit cum Alcmena, Herculemque generavit. Idcirco Iphiclo fratre melior Hercules; ille Amphitryonis, hic Iovis filius. De hac re tota lege Mythologiam Bannierii pag. 267 et Deninam lib. I cap. VI *Hist. Graec.*

34 *Consilium*. etc. Iis apud poëtas mens a Iove eripi dicitur, qui male aliquid aggrediuntur, ruuntque in exitium.

Praetulit Eurysthei ingratos celebrare penates.
Infelix: post multa gemens veniamque precatus
Oderat heu nullo crimen medicabile fletu.
At me caelicolae duros voluere labores
Ferre diu. sed nunc gnavus mihi dirige cursum
Alipedum, laetamque tuo spem concipe corde.
Ingredere, adversumque rotas age rectus in hostem
Nil strepitum Martis veritus, qui turbidus ira
Terrificis Phoebi lucum clangoribus implet:
Sit validus licet ille, tamen defessus abibit.
Dixerat: illi autem sic est auriga loquutus.
O patrue, o quali te rex hominumque deumque,
Neptunusque, altis summo qui praesidet aequus
Imperio Thebis, voluere excellere laude?
En etiam hunc ipsum mortalem acremque ferumque
Adduxere tibi, claro ut potiare triumpho.
Quare agesis atque arma humeris citus indue: nulla
Sit mora, quin magno congressi cominus hosti
Pugnemus; neque enim Martem Iovis inclyta proles,
Non et Iphiclides metuit. vestigia retro
Spero equidem referet magni duo germina cernens
Alcidae, iuvenes ambos, queis praelia dura

---

35 *Praetulit Eurysthei* etc. Iphiclus patria relicta domo ad Eurystheum sese contulerat. Eurystheus erat Peloponnesi rex, Herculemque continuis certaminibus periculisque exponebat: illi enim heros invictissimus decepto Iove a Iunonis fraudibus servire ac parere coactus erat.

38 *At me caelicolae* etc. Iuno, an potius Apollo, cui Cycnus invisus magnopere?

Grata magis resonant, aliis quam gaudia mensae.
Sic ille: Alcides placide subrisit amico
Gavisus sermone, iterumque haec impiger infit.
O heros Iolae, Iovis cura; aspera pugna
Haud procul est: novi expertus te robore firmo.
Nunc quoque sis memor ipse tui, nec Ariona nigrum
Lentus agas, sors quaque dabit se laeta, sequare.
Haec fatus, laevi inclusit suras orichalco,
Caelatoque humeris ingentibus induit auro
Insignem thoraca, olim Tritonia Pallas
Quem dederat Iove nata viro tutamen in armis,
Praelia quum primum fatalia coepit obire.
Nec minus et ferro pectus circumdat, et alto
Suspendit pharetram tergo, volucresque sagittas
Exitium vocique simul vitaeque ferentes.
His acie in summa lacrymae, morsque insidet atra,
In mediis rutilat laevor: pars ima nigrescit
Horrida fulmineae pulla Iovis alitis ala.
Corripit hinc hastam praefixam cuspide ahena,
Ingentemque quatit dextra: tum tempora circum
Terribilem cristis galeam signisque rigentem
Imponit, validum capitis munimen honesti.

---

62 ..... *nec Ariona nigrum* etc. Arion hic equus: porro usitatum equis nomina imponere, ut et canibus.

70 ..... *volucresque sagittas* etc. Animadverte elegantissimam sagittarum descriptionem, quae, qua parte vulnus infigunt, lacrymas ac mortem continere dicuntur; mediae laevissimae sunt, qua nervo aptantur, pennis armatae sunt, ut directius tendant.

Deinde capit clypei non enarrabilis orbem,
Mirandum visu, nec ferro, aut arte domandum.
Nam tenui circum gypso sectoque elephanto
Electroque micans et multo fulgidus auro
Totus erat, cyano clarum variante nitorem.
In medio stat terror atrox mortalibus anguis
Torva tuens, oculisque vomens ardentibus ignem
Flammeus, ac dentes maculosis faucibus albos
Exertans. olli nigro suffusa veneno
Saeva fronte super volitat discordia, pugnas
Illa ciens hominum, cunctisque avertere mentem
Sueta, ausi Alcidem quicumque lacessere bello.

---

79 *Deinde capit clypei* etc. Iure sane Ioannes Diaconus iam adnotavit, hoc *Herculis Scutum* exhibere nobis totum terrarum orbem et quae in eodem fiunt, pugnas nimirum, sollemnes hominum coetus, ludos, certamina, bella, urbiumque direptiones, morientiumque gemitus. Tum arantes ac metentes frugesque in aream congregantes, tum racemos secantes ac ferentes ad torcularia. Sunt et venatores, et leporem canes insequentes, et equi cursores, et adolescentes saltantes et canentes ad tibiam, et cetera huiusmodi quamplurima; quae omnia circum coronae in modum ambit oceanus. Non absimilis est illa apud Homerum in *Iliade* scuti Achillaei descriptio, multique versus iidem omnino sunt. Cur id acciderit, grammaticorum est diligentius inquirere, et an pseudo-Hesiodi sit hoc poëma? Ceterum si quis erit, qui putet multo plura in hoc scuto congesta esse, quam quae ipsum scutum capere potuerit, is Popii Animadversiones ad *Scutum Achillis* in *Iliade* adeat, videbitque solutam penitus, exhibita ibidem figurarum mensura, hanc omnem difficultatem.

Horum animae nigri subierunt ostia Ditis
Tartareosque lacus iampridem, at corpora terram
Foeda super calidi putrescunt sideris aestu.
Adsunt Incursusque Fugaeque Necesque Tumultusque
Horribiles visu formae, Rabiesque Furorque
Impatiens animi. tum vulnere Parca recentem
Hunc tenet, huic instans vulnus crudele minatur,
Hunc letho domitum pedibus trahit: effera visu,
Sanguineaque humeros palla circumdata foedos
Infrendet stridore gravi, saevumque tuetur.
Adsunt bissenique altis cervicibus hydri,
Hostibus Alcidae metus ingens, ore cientes
Ingentem crepitum, quoties Tirynthius heros
Pugnabat. colubrum fuscis lita corpora guttis
Terga videbantur, malarumque ater hiatus.
Non procul agrestumque suum atque armenta leonum
Addidit Ignipotens. properant longo ordine turmae
In se oculis conversae indignantesque; nec istae,

---

94 *Adsunt Incursusque* etc. Haec omnia quasi quaedam viva corpora videbantur: sua cuique facies constabat.

102 . . . . . *ore cientes* etc. Fortasse horum serpentium ora atque dentes ita a Vulcano conflati erant, ut quocumque motu impellerentur, interque sese collisi resonarent. Sequitur ipsa corporum descriptio, quae quia diversis coloribus effícta exprimitur, non male quis fortasse hinc coniecturam faciet, non sculptas tantum fuisse huius clypei figuras, verum etiam coloratas: itaque pingendi arti nobilissimae accedet antiquitas, quam illi videntur quidam denegasse parem Homeri temporibus.

Nec metuunt illae: cervix horrescit utrisque.
Iamque leo cecidit magnus; duo corpora iuxta
Strata iacent apri fortes: cruor omnibus ater
Volvitur e membris, iucunda leonibus esca.
Hinc magis ardescunt ad pugnam, unaque feruntur
Setigerique sues contra fulvique leones.
Parte quoque in clypei Lapithum pugna aspera surgit
Pirithoum circa, Caeneumque, Dryantaque regem,
Opleaque, Exadiumque, Phalerumque, Prolochumque,
Et Marte Ampycidem Mopsum genitore creatum,
Atque parem superis Aegidem Thesea divis:
Stant ex argento reges, arma aurea regum.
At Lapithas contra Centauri in tela ruebant
Magnanimum circa Petraeum, Arctumque, Huriumque,
Asbolon et clarum auguriis, nigrumque Mimanta,
Peucidasque duos Dryalum et fratrem Perimedem:
Ipsi ex argento, aurata gravis abiete dextra est.

---

115 *Parte quoque in clypei* etc. Cui non nota Lapitharum Centaurorumque pugna? Vtrique Thessaliae populi ferocissimi ac pugnacissimi; Centauri etiam equitandi peritissimi, unde partim equi partim homines ficti a fabulis.

123 *Asbolon* etc. An de hoc illud epigramma, quod et Philostratus memorat, et Tzetzes fuisse dicit ab Hercule scriptum?

Ἀσβολὸς οὔτε Θεῶν τρομέων ὄπιν, οὔτ' ἀνθρώπων,
Ὀξυκόμοιο κρεμαστὸς ἀπ' ἐυλιπέος κατὰ πεύκης
Ἔγκειμαι μέγα δεῖπνον ἀμετροβίοις κοράκεσσιν.

Eusebius lib. IX cap. XVII Asbolum Graecis dici, qui Phoenicibus Camus Chanaanis filius, auctor est; idemque a Tatiano scriptoribus, qui ante Homerum floruere, accensetur.

Iamque ita nituntur membris, ut cominus ense
Aeratisque putes inter se cernere telis.
Hos inter tumidis spirantes naribus ignem
Martis equos biiuges, ipsumque est cernere Martem
Sanguineo armatum ferro, turmasque cientem
Fulmineum. curru residens sublimis in alto
Fertur; cum propius Terrorque Pavorque sequuti,
Dira lues, ardent mediae se immittere pugnae.
Iuxta etiam Iove nata, velut si praelia coeptet,
Cernitur insignis galea, protectaque pectus
Aegide iam telum quassat, iam tendit in hostes.
Altius hinc superum chorus est: quos inter Apollo
Dulce sonat. divum domus est in vertice Olympi,
Totaque suaviloquae fremitu testudinis ardet.
Pone forum, rerumque foro vis maxima prostat
Caelicolum in ludis. similes modulantibus adstant
Musae Pierides, et carmen hiare videntur.
At subter portus facilis venientibus orbem

132 *Fertur; eum propius* etc. Et Homerus et Virgilius hos deo Marti comites adiungunt.

137 *Altius hinc superum* etc. Pulcherrima sane species, qua nobis Apollinis musarumque certamen in sollemni deorum coetu exhibetur. Sed aliquibus eruditis locus corruptus videtur, nec illud *περὶ δ' ὄλβος ἀπείριτος* quid heic significet, satis constat. An *ὄχλος* pro *ὄλβος* legendum? Sed Clericus huic lectioni minime codices favere observat. Ego suspicor, eam posse intelligi vocem de praemiis a diis Apollini et Musis pro cantu propositis.

143 *At subter portus* etc. Ingens quidem saltus, at pictoribus non inusitatus: qui pictores habent sane multa, quae in hoc poëmate admirentur et imitentur.

Panditur in curvum nautis. liquido aere videres
Vndantes fluctus, mediisque in fluctibus albos
Ludere delphinas variosque intexere cursus
Hac illac. gemini patulis e naribus undas
Efflant, ac mutis explent fera piscibus ora.
Hi trepidant fugiuntque: uda piscator in acta
Observat tacitus palantes, laxaque tendit
Retia substratum pelagi iacturus in aequor.
Praeterea Danaes proles fortissima Perseus
Nec clypei tangens orbem pede, nec procul abstans
Emicat haud facilis dictu. nam Mulciber illum
Fecerat haud usquam haerentem: volitantia pluma
Versicolore gerit pedibus talaria in imis,
Inclusumque nigra vagina sustinet ensem
Demissum ex humeris. rapido volat ocyor euro
Terrifico tectus desectae Gorgonis ore
Terga retro, quod pera obiens argentea totum
Cingit, et ex auro dependens plurima firmat
Fibula. Cimmeriae noctis caligine plena
Orci cassis erat circum cava tempora regis.
Ipse videbatur trepidans similisque paventi
Tendere iter Perseus: magno namque impete pone
Gorgones effusae instabant, dextramque cruentam

---

152 *Praeterea Danaes* etc. Si quo in loco oportebat meminisse hoc Scutum fuisse opus Vulcani, certe id in hac Persei descriptione faciendum erat: nihil enim illo, eiusque statu magis admiratione dignum, ne dicam incredibile.

166 *Gorgones effusae* etc. Stheno et Euryale post Perseum fugientem sororis Medusae mortem ulturae ruebant.

Iniicere ardebant. illis properantibus alto
Cum strepitu clypeus viridi ex adamante fremebat
Pulsus acuta sonans. simul ora attollere binos
Implicitos zonis angues et lambere sese
Adspiceres, presso simul acres stridere dente.
Magnus at horrifico gliscebat vertice Phorci
Natarum supra terror: quippe horrida saevit
Pugna virum, tenduntque adversa in tela phalanges.
A patria hi domibusque suis gnatisque repellunt
Exitium; hi certant populando avertere praedas.
Multi utrinque iacent; sed adhuc pars maxima telis
Viva furit. pavidae stant matres turribus altis,
Dilaniantque genas cum femineo ululatu,
Spirantes, flentesque, opus admirabile visu.
Nec non et senio longaque aetate parentes
Ibant conferti portis, infirmaque divis
Alte extollebant pro caris brachia gnatis,
Aspera quos agitat saevo fortuna periclo,
Insequiturque furor Parcarum: has tegmine nigras

Certe haec pictura, non poësis est; ita oculis omnia, ut Horatius ait, fidelibus subiecta sunt.

172 *Magnus at horrifico* etc. Supra Gorgones acerrima pugna insculpta erat: ante urbem milites praeliabantur pro coniugibus natisque; matres e moenibus exitum praelii sollicitae despectabant, senesque diis preces ac vota offerebant pro incolumitate natorum.

185 *Insequiturque furor Parcarum:* etc. Parcae sanguinis effusi avidissimae semper inter caedes versantur. Earum praesides, nam multae sunt, Clotho, Lachesis et Atropos.

Fecerat, et iunctis stridentes dentibus. et iam
Horribiles torvaeque oculis et sanguine sparsae
Inter se pugnant, rabidaeque cadavera circum
Quaeque inhiat fuso satiari prima cruore.
Vulnere quem cernunt campo procumbere, aduncos
Iniiciunt ungues misero: subit ille nigrantem
Cocytum circumque Stygem volat umbra; sed atra
Divae nocte satae, postquam fera sanguine corda
Explerunt, iaciunt post sese exsanguia membra,
Versanturque inter caedes et vulnera rursum.
Primae aderant Clotho et Lachesis: minor una duabus
Atropos incedit; neque enim est dea corpore magno,
Fortior ast aliis et multo grandior aevo est.
Ergo omnes caedi videas instare, minantes
Vngnibus alternum longis manibusque cruentis
Exitium sociis, ac se crudele tuentes.
Tristitia infelix has iuxta proxima stabat
Horrentque fame pallens atque arida, foedum
Crassa genu: insecti digitis informibus ungues,
Naribus et mucor manabat teter, et atras
Perque genas perque ora cruor se fusus agebat.
Ipsa autem dentes haud ulli affabilis ore
Exacuit stricto frendens, multoque superne

Quae heic diversa fieri describuntur, non ab iisdem sed a diversis fieri intelligenda.

202 *Tristitia infelix* etc. Bene post cruentam pugnam describitur tristitia; multi enim necesse est tristentur ac doleant. Porro quid tristius hac tristitia scribi aut etiam excogitari potuit?

Pulvere sordescit latos foedata per armos,
Humidaque a fletu. non hinc procul urbis imago
Turrigerae sese attollit, cui postibus aureis
Septem inerant portae, portisque effusa iuventus
Laeta indulgebat choreis. nova ducitur altis
Sponsa rotis, late resonant loca Hymen Hymenaee,
Semitaque ardenti collucet lumine tota
Ordine servorum longo. praeit inclyta forma
Turba puellarum gaudens; quas pone sequutus
It chorus aequalis iuvenum, luditque sequendo
Aut bifores inflans buxos, aut gutture molli
Ingeminans carmen, cantantique adsonat echo.
Iamque illae ad citharae sonitum, iam ducere coeptant
Hi choreas, dulci resonat dum tibia cantu.
Inde alii atque alii saliunt, et carmina dicunt
Alterni, ridentque hilares: urbs tota resultat
Laetitia plausuque simul choreisque iocisque.
Altera pars iuvenum celsae sub moenibus urbis
Exercetur equis, domitatque in pulvere currus.

---

210 . . . . . *non hinc procul urbis imago* etc. Cuius urbis? quae septem habebat portas. ergo Thebarum mentio fit.

214 *Sponsa rotis*, etc. Sollemnis heic describitur pompa, qua sponsa ad sponsum apud Graecos deducebatur. Iuvenes ac puellae in duos choros dividebantur, sponsorumque laudes alterno cantu celebrabant, saltabantque ad tibiam. Vide Theocritum in Helenae ac Menelai Epithalamio. Quî vero Echo in sculptura resonabat, sane nequeo intelligere. Sed non unum hoc parum verisimile in hac descriptione, quamvis summa est in versibus venustas, quod satis erat poetae placendi in primis studioso.

Pars etiam curvo terram proscindit aratro
Insudans, tunicasque alte succincta: stat agro
Laeta seges, gravidisque horrens flavescit aristis.
Hinc alii culmumque levem plenasque secabant
Falcibus incurvis spicas, cerealia dona;
Compositos alii instabant conferre maniplos,
Arca qua late fervet. vindemia labro
Inde subit roseo spumans: hic falcibus uvas
Pampinea de vite secat, gerit ille racemos
Plexis in calathis modo purpureos, modo canos,
Nectare abundantes, foliisque recentibus auctos.
Argento e niveo subnixa stat ardua vitis,
Artis opus rarae, et foliis agitata tremiscens
Ingenti iuvenes umbra complectitur. horum
Pars uvas pedibus calcat, laticemque lyacum
Laeta haurire parat; pars et contendere pugnis
Gaudet, et exercet luctam, sequiturve fugaces
Venatu lepores. gemini fugientibus instant
Ore canes, morsuque inhiant: hoc acrius illi
Maturantque fugam trepidi atque evadere certant.
Heic quoque in herboso videas certamina campo
Exercere equitum turmas: stant curribus altis

---

230 *Laeta seges*, etc. Animadverte quatuor anni partes heic eleganter descriptas per arationem, per messem, per vindemiam ac venationem.

239 *Argento e niveo* etc. Quid hac vite formosius, quid magis affabre fictum? plena sane evidentiae descriptio ita, ut oculis ipsis, tantum perlectis versibus, omnia mihi videre videar.

Aurigae, laxantque feris fluitantia lora
Colla super; volucrum vis emicat excita equorum
Lata per arva volans, sonat impete faginus axis.
Necdum etiam magno laeti certamine metam
Attigerunt, necdum cupidis victoria munus
Annuit: ex auro tripodes stant praemia pugnae
In medio, vivoque ardent velut igne corusci.
Haec circum extremas clypei perlabitur oras
Oceanus late effusus, strepitantque per ipsum
Cycni exsultantes inter se vocibus altis,
Ludentesque unda in summa cum piscibus. illos
Aspiceres vivos freta per tranquilla moveri,
Spectaclum Iove dignum ipso, cui Mulciber olim
Extuderat clypeum iussus, magnoque labore
Caelarat variis ingentem ex ordine formis.

---

255 . . . . . *ex auro tripodes* etc. Praemia certaminum ludorumque apud Graecos tripodes plerumque; quamvis et alia proponerentur victoribus. Vide Homerum ad Patrocli funus ab Achille celebratum, et Virgilium ad Anchisae exsequias ab Aenea instauratas.

257 *Haec circum* etc. Has omnes hactenus descriptas tam multiplices variantesque figuras Oceanus coronae in modum per summas clypei oras discurrens claudebat; et ne ipse etiam inornatus esset, cycnos cum piscibus in eodem ludentes effinxerat Vulcanus.

262 *Spectaclum Iove dignum* etc. Quid mirum, hunc fuisse clypeum tam affabre a Vulcano elaboratum, quum ab ipso Iove sic iussus erat?

Hunc satus Alcmena cepit, nec mole gravatur
Immani, sed utrinque agitans obiectat, et altum
Insilit in currum, dio par fulguris igni.
Iamque levis graditur: bigis Iolaus iisdem
Adstat, et auratis currum moderatur habenis.
Queis dea caeruleo Tritonia lumine Pallas
Adstitit, inceditque animos his vocibus usa.
Salvete, o Lyncei proles clarissima: vobis
Iupiter ille poli rector nunc sternere Cycnum,
Exuere et stratum fulgentibus adnuit armis.
Verum age tu memori, quod dicam, in mente repone,
Alcida: postquam Cycnum spoliaveris aura,
Intactum tellure sine ipsum atque arma iacere;
Namque aderit Mavors. tu qua se parte videndum
Obiiciet clypei nudatus tegmine, in illum
Tende simul validis iaculatam viribus hastam
Retrorsum simul ipse pedem refer: haud etenim fas
Aut arma eripere, aut biiugos abducere Martis.

---

265 ..... *nec mole gravatur* etc. Recte quidem haec a poëta animadversa, ut ingens illa vis Herculis magis appareret.

272 *Salvete, o Lyncei* etc. Abantis pater fuit Lynceus, Abas Acrisii, Acrisius Danaës, Danaë mater Persei, Perseus pater Alcaei, Alcaeus Amphitryonis, Amphitryon vero Herculis et Iphicli, cuius filius Iolaus.

278 ..... *tu qua se parte videndum* etc. Mars et Pallas ambo pugnarum praesides, sed plerumque adversi a poëtis finguntur: ille enim furore, haec sapientia regitur. Porro sic eadem Dea et Diomedem in *Iliade* in Martem incitat.

Sic fata, insiliit curru: victoria divae
In manibus, sequitur multa quam gloria laude.
Tunc auriga Iovi carus clamore iugales
Horrendo increpuit minitans. novere minantem
Alipedes, rapiuntque rotas, celerantque per arva;
Addit et ipsa citis magnas dea caerula vires
Aegide concussa: pulsu gemit excita tellus.
Contra autem flammae similis nimboque voluci
Cycnus equûm domitor pariter procedit, et olli
It proprior Mavors. diversa e parte ruentes
Convenere ut equi, subitis hinnitibus aër
Insonuit, circumque offensa remugiit echo,
Et Cycno prior Alcides ita voce profatus.
Cycne, quid adverso contendis tramite currum
Nos contra adsuetosque malo adsuetosque labori?
Iam nunc in diversa rotas age dirige, et ista
Cede via abscedens. Trachinem tendimus altam

---

283 . . . . . *victoria divae* etc. Nam cui Pallas auxiliatur, victor evadat necesse est.

296 *Cycne, quid* etc. Initio allocutionis conatur Hercules Cycnum a pugna deterrere, admonens se et Iolaum esse pugnis periculisque iamdiu adsuetos. Ex quo constat non venisse illuc Herculem data opera, ut eum occideret, sed potius ut cum Ceyce de iniuriis a Cycno Apollini illatis conquereretur.

299 . . . . . *Trachinem tendimus* etc. Vrbs Thessaliae est Trachina non procul a sinu Maliaco. Itaque Hercules, ut iam animadvertit Clericus, ex regionibus Pelio Thessaliae monti subiectis ad Oetam iter habebat.

Ad magnum Ceyca, regit felicibus urbem
Imperiis qui iam senior: scis ipse, neque eius
Gnata Themistonoe frustra tibi tradita coniux.
Infelix! neque enim a saevo te funere Mavors,
Credo equidem, eripiet, si congrediemur ad arma.
Ille etiam nostri iam tunc est vulnera teli
Expertus, mecum Pyliis quum turbidus oris
Conseruit pugnam. ter nostra impulsus ab hasta
Membra solo adlisit, clypeum male saucius. ictu
At quarto insurgens totis ego viribus imum
Transfodique femur, scutique obstacula rupi.
Concidit, et multa iacuit resupinus arena
Pulvere sordescens artus, irrisus et ipsis
Caelicolis, mihi laude simul, spoliisque relictis.
Dixerat: at Cycnus nil verba minantia curans
Vertere nec biiugos, nec vult absistere calle.
Ergo desiliere altis e curribus ambo
Filius et magni Iovis et Mavortia proles,
Aurigaeque feros retro abduxere iugales,
Et graviter vi terra pedum tremefacta ruentum est.
Ceu quondam aërio montis quum vertice magnae
Desiliunt, aliaeque alias super impete rupes

---

300 *Ad magnum Ceyca,* etc. Ceyx rex Trachines erat, pater Themistonoes, et Cycni socer.

313 . . . . . *spoliisque relictis.* etc. Cur igitur supra Pallas dixit, nefas esse Martem spoliare? In Pylo fortasse licuit, hac in pugna non licet. Vide quid Plato dicat in lib. II *De Rep.* de non recte mentientibus, ubi invehitur in Homerum et Hesiodum.

Volunturque ruuntque; tremit subiecta fragore
Sylva gravi, lateque immani robore quercus
Excisaeque alni et fractae ab radicibus imis
Procumbunt piceae, lapsu qua saxa feruntur
Praecipiti, plana donec tellure recumbant.
Sic illi inter se magno clangore ruebant
Ad pugnam, tantoque virum late omnis Iolcus,
Myrmidonumque arces, Heliceque, Anthaeaque, et Arne
Intremuit clamore. instant nec secius illi
Tollere congressi voces; tum parte serena
Iupiter intonuit magnum, guttasque cruentas
Demisit gnato laetum certaminis omen.
Nec mora: qualis aper gelidis in vallibus ille

---

328 . . . . . *late omnis Iolcus*, etc. Vrbes Thessaliae inter se vicinae, quarum Phthia Achillis patria ad troianum bellum Myrmidonum ducis celeberrima. Absurdum videtur Clerico voce duorum virorum tot tractus terrarum personuisse. Atqui si id absurdum, pleraque et in Homero et in Virgilio absurdissima; immo tota poësis absurda. Quid de Alecto illa Virgiliana tam longe personante?

332 *Iupiter intonuit* etc. In honorem Sarpedonis filii occisi a Patroclo fingit Homerus in *Iliade* sanguineas a Iove guttas demissas e caelo. Ergo prave Hesiodus fecit, qui ab eodem Iove, non a Marte Cycni patre, heic delapsas memorat. Darem quidem id Clerico, nisi optimo iure Hesiodo aliter facere licuisset. Homerus ob Sarpedonis occisi commiserationem sanguinis guttas demittere facit Iovem, Hesiodus in signum victoriae, quam eius filius Hercules erat de Cycno relaturus. An utrumque nequeunt illae sanguineae guttae significare?

Horrificum exertans rictum ferus emicat acri
Voce lacessitus venantum, ac fertur in arma
Obliquus, dentemque acuit; tum spuma ruenti
Volvitur os circum, inque oculis rubor igneus ardet,
Arrectaeque horrent setae per colla per armos:
Talis prosiluit curru Iove natus in hostem.
    Tempus erat, reducis quo primum nigra cicada
Nunciat aestatis longas messoribus horas;
Quae viridi residens arguta sub arboris umbra
Vivit rore levi, nec dulcem effundere cessat
Vsque sonum, fervens quum corpora sirius urit;
Iamque etiam tenerae milio nascuntur aristae
Luce sato aestiva, iam mutat acerba colorem
Vva, dedit Bacchus quam praemia laeta laborum.
    Illa tempestate inierunt praelia, et arva
Impleruntque metu late trepidoque tumultu.
Namque, velut geminis quum cerva leonibus icta
Concidit, in sese rabie vertuntur et ira
Praecipites, gravibusque implent rugitibus auras:
Aut etiam veluti gemini certamina rostris
Vulturii sub celsae ineunt quum rupis hiatu
Cerva pro pingui vel montivaga pro capra,
Quam iuvenis fixit conspectam e rupe sagitta
Eminus a nervo emissa; diversa peragrat
Ipse loca, ignarus qua parte sequatur; at illi
Collapsam videre, et pugnam iniere cruentam.
Sic gemini heroes ibant in mutua damna.
    Primus ibi Cycnus cupiens prosternere telo
Alciden, magnis iaculatus viribus hastam

In clypeum intorsit; sed non perrumpere ferro
Aes potuit, donum Vulcani. tum ferus hasta
Insurgens contra Alcides iaculatur, et alte
Cristatamque inter galeam clypeumque sub ipsa
Transadigit nudum cervice, et vincula colli
Nervum utrumque secat. vis toto e corpore cessit
Magna viri; ramisque velut frondentibus arbos
Alta cadit, perculsa Iovis vel fulmine rupes,
Sic cecidit, sonitumque gravem super arma dedere.
Atque illum Alcides linquit tellure iacentem
Opperiens Martem validum, servatque ruentem
Saeva tuens oculis. praedam ceu nactus opimam
Forte leo, postquam detraxit corpore pellem
Vnguibus atque animam rapuit citus, aspera corda
Explet acerba tuens huc atque huc lumine glauco,
Dimotaque humeros cauda ferit, et pede crebro
Prosubigit terram; non illi accedere quisquam
Obvius irato, aut audet concurrere pugna.
Sic tunc Alcides magna se suscitat ira

---

364 . . . . . *sed non perrumpere* etc. Iam superius admonuerat Hesiodus, hunc Herculis clypeum nulla vi ferrove potuisse frangi: qualia sunt arma omnia, quae a Vulcano fiunt.

374 *Opperiens Martem* etc. Sic enim praeceperat Pallas, ne occupatum in Cycno spoliando Mars aggrederetur.

376 *Forte leo*, etc. Haec omnis similitudinum comparationumque coacervatio plane Homerica est. Vbi enim vatum ille maximus incalescit, frequentissimas adhibere solet similitudines, ac veluti coacervare.

Victor, et adversus Martem furit. ille dolore
Venit inexpleto praecordia saucius, et iam
Saeva gravi motu invadit discordia utrumque.
Vt quando celsi moles de culmine montis
Praecipitans ruit acta diu, lateque fragorem
Excitat immensum, si fors gravis incidat altum
In collem, opposito fractus perit obiice cursus:
Ipsa immota manet, campoque infixa resistit.
Non alio fremitu Mavors veniebat in hostem
Vociferans; non illum aliter Tirynthius heros
Excepit venientem immotus. bellica virgo
Aegida concutiens Marti stetit obvia, et ipsum
Aspiciens torve sic est adfata furentem.
O cohibe indomitosque animos infractaque bello
Brachia, Mars: neque enim tibi fas fatalibus armis
Exuere Alcidem gnatum Iovis. ergo age pugna
Cede procul, ne forte luas mihi sanguine poenas.
Haec ait: ille ardens animo parere recusat,
Et fremitu magno flammantia tela coruscans
Protinus Alcidem invadit, natique perempti
Iratus pro cede aeratam coniicit hastam
In clypeum adversi: Pallas venientis at ictum
Avertit, iaculumque alto deflexit ab orbe.
Ille dolore furens educto protinus ense
Irruit, Alcidemque petit. sed maximus heros

---

396 *O cohibe* etc. Sic et apud Homerum saepe Martem verbis castigat Pallas; nec ille tamen sapientiori acquiescit, atque idcirco non semel mulctatus abiit.

Amphitryoniades surgentem cominus, orbe
Sub clypei extremo, crudeli vulnere nudum
In femore assequitur: clypei transverberat oras
Hasta simul, fulva simul ipsum sternit arena.
Continuo currumque agilem biiugosque volucres
Adduxere olli famuli Terrorque Pavorque;
Atque ubi sublimem curru imposuere, iugales
Impulerunt loris, petiere et limen Olympi.

At satus Alcmena, soboles et fortis Iphiclei
Victores Cycno exuto spoliisque potiti
Longe abeunt; dumque alta petunt Trachinia cursu
Moenia, caeruleo Pallas circumdata nimbo
Aethera iam subiit, caeloque ingressa resedit.

Cycnum autem Ceyx, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit, adcitis, late vicina colebant
Oppida finitimi quicumque et Iolcon et Anthen,

---

412 *Continuo currumque agilem* etc. Aurigae Martis Terror et Pavor, quod hostibus iniecti eosdem facile in fugam convertunt. De his vide *Theog.*

418 . . . . . *dumque alta petunt Trachinia* etc. Herculem et Iolaum Trachinem quidem divertisse dicit Hesiodus, non vero dicit Ceycem petiisse; quare desinat mirari Clericus, quomodo Hercules occiso genero ad socerum ivisse ab Hesiodo fingatur. Quod si etiam ad Ceycem ivisse diceretur, honestam caedis excusationem Hercules habuisset; quod et illatam vim propulsasset, et iniurias a Cycno Apollini illatas suadente Pallade vindicasset.

421 *Cycnum autem* etc. Sepulcrum exsequiaeque Cycno hominum concursu maximo a Ceyce adornantur.

Myrmidonumque sacras arces, Arnenque, Helicenque
Turrigeras: excita hominum vis plurima venit
Dis superis cari gaudens Ceycis honore.
Sed molem illius tumulumque evertit Anaurus
Imbribus exundans brumali tempore: visum
Quippe ita Latonae gnato, cui munera Delphis
Saepius avertit rapiens, ipsosque ferentes
Iucundo vitae spoliavit lumine Cycnus.

FINIS.

---

424 *Myrmidonumque* etc. Nomina urbium paullo immutata ab iis, quarum superius poëta meminit.

426 . . . . . *cari gaudens Ceycis honore*. etc. Ideo credo haec apposita, ut appareret, tantam hominum frequentiam non convenisse Cycni gratia, qui omnibus fortasse invisus erat, sed Ceycis optimi regis, ac propterea dilecti superis.

427 *Sed molem illius* etc. Anaurus Thessaliae fluvius ita volente Apolline, ne crudelissimi iniquissimique praedonis honor aut memoria exstaret, tumulum Cycni evertit. Ceterum credit Clericus, ut initio multa desunt, ita nec finem poëmatis heic fuisse, quod verisimile est.



ESIODO

ASCREO


TRASPORTATO

IN VERSI ITALIANI

DA

GIUSEPPE M.ª PAGNINI

CARMELITANO.





DALLA REALE TIPOGRAFIA

PARMENSE

MDCCXCVII

LA TEOGONIA

CIOÈ

LA GENERAZIONE

DEGLI DEI.

Dalle Muse il mio canto esordio prenda,
Le quai del divin monte alto Elicona
Abitatrici or i piè molli in danza
Lungo al ceruleo fonte e del possente
Giove all'ara disciolgono, or asterse
Le dilicate membra entro al Permesso
O all'Ippocrene od al sacrato Olmeo
Belle amabili ordiscono carole
Con vigor saldo all'Elicona in cima.
Quinci ratto movendo in fosco velo
Chiuse, di notte van la bella voce
Spargendo per lodar l'egioco Giove,
La veneranda argiva Giuno adorna
D'aurei calzari, e la di Giove figlia
Occhio-azzurra Minerva, il chiaro Apollo,
Cintia de' dardi amica, e della terra
Circondatore e scotitor Nettuno,
La reverenda Temi, e Citerea
Da' volubili rai, Ebe fregiata

D'aurea ghirlanda, la gentil Diona,
L'Aurora, il magno Sole, e la fulgente
Luna, e Latona, e Giapeto, e l'astuto
Saturno, il vasto Oceano, la Terra,
L'opaca Notte, e tutto l'altro sacro
Degl'Immortali sempiterno coro.
Maestre d'un bel carme un dì le Muse
Furo ad Esiodo allor quand'ei dell'almo
Elicona alle falde agnei pascea.
Esse di Giove figlie Olimpie dee
A me drizzaro impria sì fatti accenti:
  Pastor vegghianti a cielo aperto, infamia
Dell'uman seme, tutti gola e ventre,
Noi molte finzíoni ordir sappiamo
Simili al vero; e sappiam dir pur anco,
Se talento ne vien, cose veraci.
  Tal fu il parlar delle faconde figlie
Di Giove, e per mio bacolo mi fero
Carpir di verde alloro un vago ramo;
E m'inspirár divina voce, ond'io
Le trapassate e le future cose,
E l'eterna progenie de' beati,
E lor medesme sul principio e in fine
D'ogni mio canto a celebrar prendessi.
Ma il tempo a che mai perdo in tai novelle,
Qual chi s'aggira intorno a quercia o masso?
  Or dalle Muse incominciam, che al padre
Giove empion la grand'alma di diletto

Là su l'Olimpo, in ugual tuon le cose
Che son, che furo, che saran cantando.
Gioconda voce non mai stanca piove
Dalla lor bocca, e del Tonante ride
L'alta magione agl'infiorati accenti.
Eco al diffuso suon le cime fanno
Del nevicoso Olimpo, albergo a' Numi.
Esse sciogliendo la divina voce
Commendano gli Dei, cui Terra e Cielo
Origin diero, e que' che uscir da loro
Donator d'ogni bene, e in nova guisa
Giove padre degli uomini e de' numi
Sul cominciare e sul finir del canto,
Com'egli a tutti in possa e onor sovrasta.
E la sua mente allegrano membrando
Degli uomini la stirpe e de' giganti.
Del fecondo Eleutere alma reina
Mnemosine al Saturnio egioco avvinta
In dolce nodo partorì in Pieria
Quelle, de' guai conforto, obblío de' mali.
Ben nove notti Giove saggio in sacro
Talamo accolto dimorò con lei
In disparte da' numi. Ella trascorsi
E mesi e giorni assai sul fin dell'anno
Nove figlie concordi in luce diede,
Aventi un'alma in sen da cure scevra,
Del canto amiche, non lontan dall'erta
Cima d'Olimpo, ov'han leggiadre stanze

E ben orditi balli. A lor d'appresso
Han le Grazie ed Amor seggio e conviti.
Esse in amabil suon leggi e costumi
Degl'Immortali a rimembrar son destre.
Alto esultando di lor bella voce
Salían l'Olimpo: al modular divino
La fosca Terra rispondea: giocondo
Strepito fean co' piè nel gire al padre,
Che regna in Ciel, dominator del tuono
E dell'ardente folgore dappoi
Che in possa ei vinse il genitor Saturno,
Poscia con dritta legge a ciascun Nume
Del par divise e ministeri e onori.
Tali cose cantavano le nove
Olimpie Muse del gran Giove figlie,
Euterpe, Clio, Melpomene, Talía,
Terpsicore, Polimnia, Erato, Urania,
Calliope; e questa l'altre in pregio avanza,
E fa corteggio a' venerandi regi.
Certo quale infra i re di Giove alunni
Miran le Muse ad onorarlo intente
Quand'egli nasce, su la lingua a lui
Stillan dolce rugiada, onde soavi
Note versa dal labbro, e tutte genti
In lui fiso han lo sguardo allorchè retti
Giudizj porta, e co' sicuri e saggi
Detti in un punto ogni contesa acqueta;
Poichè il senno de' re sa di leggiero

Con blande voci riparar nel foro
Alle soggette genti oltraggi e danni.
Quando tal re per la città passeggia,
Qual Dio riscote veneranza e amore,
E fra tutta la turba alto risplende
Per sacro delle Muse inclito dono.
Certo le Muse e il saettante Apollo
Alla terra cantori e citaristi,
Giove dona regnanti. È ben felice
Chi dalle Muse è amato: a lui dal labbro
Dolce parlar discorre. E se taluno
Da fresca doglia atroce ha il cuor conquiso,
Sol che un vate ministro delle Muse
Canti la prode umana stirpe antica,
Ed i beati abitator d'Olimpo,
Tosto amarezze e affanni oblía, distratta
Per favor delle Dee la mente altrove.
Figlie di Giove, il Ciel vi salvi, un canto
Gradevol ne porgete, e al Mondo nota
Fate la prole degli eterni Iddii,
Cui l'astrifero Ciel, la Terra e l'atra
Notte produsse, e il salso Mar nutrío.
Dite come fur pria gl'Iddii, la Terra,
I Fiumi, il Mare furibondo immenso,
I fulgid'Astri, il Cielo ampio superno,
E i discesi da lor benigni Dei;
Com'e' partiro altrui dovizie e onori,
E qual ne' varj in pria d'Olimpo seni

Presero stanza. Tai contezze, o Muse,
Voi mi svelate, e chi di lor fu il primo.
Pria di tutto fu il Caos, dipoi la Terra
Di vasto sen, sicura sede a tutti
Gli abitatori del nevoso Olimpo,
E del riposto in giù Tartaro oscuro,
Ed Amore il più bel tra gl'Immortali,
Che le cure disgombra, e che ne' petti
D'uomini e Dii gli spirti doma e i sensi.
Dal Caos l'Erebo nacque e l'atra Notte,
Poscia l'Etere e il Giorno dalla Notte,
Che all'Erebo sposata ambo produsse.
La Terra generò pari a sè stessa
Pria lo stellante Ciel, che d'ogn'intorno
La ricovrisse, e a' Numi fosse albergo
Ognor securo; poscia gli ardui Monti,
Graditi seggi alle silvestri Ninfe;
E senza opra d'amor produsse il Ponto,
Gonfio estuante pelago infecondo.
Quinci ella a Cielo in maritaggio unita
Partorì l'Oceán da' cupi gorghi,
Ceo, Creo, Iperion, Giapeto, Tea,
Rea, Mnemosine, Temi, e Febe ornata
D'aurea corona, e la vezzosa Teti.
Nacque ultimo di lor Saturno astuto,
E di tutti il più fier, che in odio prese
Il prode genitor. Poscia alla luce
Diede i Ciclopi di protervo cuore,

Bronte, Sterope ed Arge, i quali a Giove
Porsero il tuono, e fabbricár gli strali.
Questi simili in tutto erano a' divi,
Fuorchè ùn sol occhio in mezzo della fronte
Aveano, e quinci di Ciclopi il nome
Per l'unico portaro occhio rotondo.
Era in lor opre vigor, forza e inganno.
Della Terra e del Ciel prole orgogliosa
Furo altri tre, Briareo, Cotto e Gige,
Grandi, robusti, orribili, che cento
Mettean fuor dalle spalle invitte mani,
E ciascuno di lor cinquanta teste
In alto ergea sul vigoroso dorso,
Chiudendo in vasto corpo immensa forza.
Della Terra e del Ciel fur tutti i figli
Sovra modo feroci, e dal lor padre
Odiati sì, che dopo usciti al giorno
Chiudea ciascun nelle latébre oscure
Della terrestre mole, e si prendea
Diletto di tal opra indegna e fella.
La Terra entro sè stessa oltre ogni segno
Addolorata meditò un inganno.
Tosto che il bianco ferro ebbe produtto,
Formò gran falce, e così disse a' figli
Per incorargli, e disfogar sua doglia:
O di me figli e di nefando padre,
Se volete ubbidir, de' duri oltraggi
Del vostro genitor farem vendetta,

Ch'ei primier macchinò misfatti indegni.
Sì disse, e tutti lo spavento assalse,
Nè le rispose alcun; poi fatto cuore
Il gran Saturno astuto in cotai sènsi
Parlò all'augusta madre: Io certo, o madre,
L'impresa eseguirò; chè nulla punto
Il nostro curo abbominevol padre,
Che primo autor fu d'opre inique e felle.
Disse, e la Terra ne fu lieta e paga.
Nascoselo in agguato, e in man gli porse
Dentata falce, e lo fornì d'inganni.
Venne il gran Cielo a ricondur la Notte,
E d'amor caldo a ritrovar la Terra
Andonne, e tutto sovra lei si stese.
Allora il figlio esce d'agguato, il prende
Con la sinistra mano, e con la destra
La gran falce dentata impugna, e sega
Rapidamente al genitor le membra
Maschili, e dietro a sè lungi le scaglia;
Nè indarno usciro a lui di man; chè tutte
La Terra accolse le sanguigne gocce,
Che ne grondaro, ed al girar degli anni
Ella produsse le robuste Erinni,
I gran Giganti rilucenti in arme,
Guerniti di lunghe aste, e in un le Ninfe,
Che tra le genti hanno di Melie il nome.
Dipoi le membra, cui recise il ferro,
Gittò lungi da terra al mare ondoso.

Girár tra' flutti lunga pezza, e intorno
A quelle si levò candida spuma,
Dalla quale ebbe vita una donzella.
Questa all'alma Citera approda in pria,
Poscia a Cipro pervien dall'onde cinta.
Fuor esce bella veneranda Diva,
Cui sotto a' molli piè l'erba crescea.
Lei nata dalla spuma e di be' serti
Adorna Citerea con proprio nome
Afrodite chiamaro uomini e divi,
Perchè nudrita fu dentro le spume,
E Citerea perchè approdò a Citera,
Ciprigna ancor perch'ella nacque in Cipro,
E Filomede dal primier suo seme.
A lei come pria nacque e andò tra i Numi,
Sì fero Amore e il bel Piacer compagni.
Tale riscosse onor da prima, e in sorte
Tra gli uomini e tra' numi ebbe virginei
Colloquj, risi, insidíosi furti,
Diletti, bei desir, dolci lusinghe.
Tai figli suoi cognominò Titani
L'immenso Ciel nel rampognarli, e disse,
Che avean commesso audaci un gran misfatto,
Cui seguirebbe in avvenir gran pena.
Dalla Notte pur anco origin ebbe
Il severo Destin, la nera Parca,
La Morte, il Sonno, e il vario stuol de' Sogni.
Tutti costor la tenebrosa Notte

Di per sè sola generò, in appresso
Momo e il Travaglio di dolori ingombro,
L'Esperidi, che in cura hanno i bei pomi
D'oro, e i fruttifer'arbori là oltre
Il nobile Oceán, le Dee fatali
E le Parche inclementi, Atropo, Cloto,
Lachesi, che a' mortali il bene e il male
Assegnano al lor nascere, e van dietro
Alle colpe degli uomini e de' numi,
Nè spogliano l'acerba ira, se pria
Non diéro al fallitor grave gastigo.
La cruda Notte generò pur anco
Nemesi, eccidio de' mortali, e poi
La Frode, e il turpe Amore, e la Vecchiezza
Piena di guai, e l'ostinata Rissa.
La Rissa partorì l'aspra Fatica,
L'Obblío, la Fame, i lagrimosi Affanni,
E le Pugne e le Stragi e le Battaglie,
E gli Scempj degli uomini e i Contrasti,
I fallaci Parlar, gli ambigui Detti,
L'Ingiustizia, l'Oltraggio ognor compagni,
E il Giuramento, che fa danni immensi
Quand'è talun che giuri a prova il falso.
Il Ponto generò primier tra' figli
Nereo verace e alle menzogne avverso.
Di vecchio il nome a lui si dà, ch'è mite
E veritier, nè l'equitade obblía,
Ma ben sa consigliar discreto e giusto.

Poi congiunto alla Terra egli diè vita
Al gran Taumante, al prode Forci, a Ceto
Di bella guancia, et ad Euribia, a cui
Dentro al petto risiede un ferreo spirto.
Da Nereo usciro e dalla vaga Dori,
Figlia dell'Oceáno ultimo fiume,
Nell'infecondo mar le predilette
Figlie, Sao, Proto, Eucrate ed Anfitrite,
Eudora, Teti, Toe, Galene, Glauce,
Cimotoe, Spio, l'amabile Talía,
La grazíosa Melite, Eulimene,
Agave, Pasitea, Erato, Eunice
Dalle rosate braccia, Doto, Cranto,
Ferusa, Dinamene, Attea, Nesea,
Panope, Dori, Galatea vezzosa,
Protomedia, la vaga Ippotoe, Ipponoe
Dal rubicondo braccio, e lei, che appiana
Nel torvo mare i flutti e i venti irati,
Cimodoce, e con lei Cimatolége,
Ed Anfitrite da' bei piè, poi Cimo,
Ejone, ed Alimede inghirlandata,
Pontoporia, Glauconome ridente,
Evagora, Liagora ed Autonoe,
Laomedia, Polinome ed Evarne
D'indole dolce e di sembiante egregio,
Lisianassa e Psamate avvenente,
Menippe di virtude sovrumana,
Niso, Eupompe, Temisto, Pronoe, e in fine

Nemerte erede del paterno senno.
Queste si fur del buon Nereo cinquanta
D'ogni bell'opra onesta esperte figlie.
Taumante poi dell'Oceán profondo
La figlia Elettra si menò in consorte,
Che figliò la veloce Iri e le Arpíe
Di belle chiome, Ocipete ed Aello,
Le quai co' vanni pronti e'l vol sublime
Fino i venti raggiungono e gli augelli.
La vaga Ceto poi produsse a Forci
Le Gree, canute infin dal parto, ond'esse
Da' numi e da' terrestri ebber tal nome.
Queste furon Pefredo dal bel manto,
Enío di crocea vesta, e le abitanti
Gorgoni dell'Oceano a' lidi estremi
Inver la notte, ove dimora fanno
L'Esperidi canore, Euriale, Steno,
E la soggetta a rei martir Medusa.
Questa sola mortale, e l'altre due
Furo immortali e di vecchiezza ignare.
Con lei soletta si corcò Nettuno
In morbido pratel su i freschi fiori.
Poscia che a lei troncò Perseo la testa,
Crisaor prode e Pegaso destriero
N'usciro al giorno; questi prese il nome
Dall'esser nato dell'Oceano a' fonti,
Quei dal recarsi un aureo brando in mano.
Pegaso col volar lasciò la terra

De' frutti madre, e se n'andò tra' numi.
Alberga in casa dell'accorto Giove,
E i tuoni e le saette a lui ministra.
Ma Crisaor giunto a Calliroe figlia
Dell'Oceán, fu padre a Gerione,
Che avea tre capi, cui spogliò dell'armi
Ercole presso i buoi da' piè ritorti
In Eritía, cui l'onda bagna intorno,
E ciò nel dì che dell'Oceano il corso
Fornito avendo conducea alla sacra
Tirinto il pingue suo bovino armento,
Poich'ebbe colà ancisi Orto e il bifolco
Eurizione in tenebrosa stalla.
Poscia ella in cavo speco un altro mostro
Partorì smisurato, e nulla punto
Rassembrante nè gli uomini nè i divi,
La indomabile Echidna, mezza ninfa
Bella di nere luci, e mezza serpe
Vasta, fiera, crudel, divoratrice
Di crude carni, e di color diversi.
Nel grembo della terra ella ha uno speco
Sotto concava pietra assai lontano
Dagl'immortali e da' mortali, ov'hanno
I numi fissa a lei magion famosa.
Chiusa sótterra appo le Sirie genti
Fu per tutti i suoi dì la truce Echidna
Immortal ninfa e da vecchiezza illesa.
A lei donzella di pupille nere

Fama è che in nodo marital s'unisse
Tifone infesto impetuoso vento,
Ond'ella partorì feroce prole,
Orto da prima il can di Gerione,
Poscia l'abbominevole di Pluto
Can Cerbero vorace smisurato
Di ferrea voce, che cinquanta teste
Indomito sfacciato erge e solleva.
Terzo suo parto fu la crudele Idra
Lernea, cui Giuno dalle bianche braccia
Nutrì per odio atroce incontro Alcide;
Ma col favor dell'Agelea Minerva
Esso figlio di Giove in un col prode
Iolao di ferro armato il mostro ancise.
Quinci ella partorì la truce e vasta
Snella ne' piè indomabile Chimera
Spirante immense fiamme: ella portava
Tre capi, un di leon, l'altro di capra,
Di drago il terzo: comparía al dinanzi
Leon, drago al di dietro, in mezzo capra,
Terribile alitante acceso foco.
Lei Pegaso e il guerrier Bellerofonte
Domaro. Uscì da Ceto ancor la Sfinge,
Sterminio de' Cadmei, che fu sconfitta
Dal valor d'Orto, ed il Nemeo leone,
Cui di Giove nutrì l'augusta moglie
Giuno, e il locò su le Nemee pendici
A scempio de' mortali. Ivi regnando

Negli antri di Apesanto e di Nemea
Fea danni e stragi; alfin lo spense Alcide.
Ceto pur giunta in maritaggio a Forci
Ultima prole generò il serpente,
Che dall'oscuro grembo della terra
Fa guardia in ricche piagge a' pomi d'oro.
Questa la schiatta fu di Ceto e Forci.
Teti all'Oceano vorticosi fiumi
Partorì, il Nilo, l'Eridán da' cupi
Gorghi, il Meandro, lo Strimon, l'Alfeo,
L'Istro dalle bell'onde, il Fasi, il Reso,
Il limpido Acheloo, il Nesso, il Rodio,
L'Aliacmon, l'Eptaporo, il Peneo,
Il Granico, l'Esapo, l'Ermo, il sacro
Simoente, l'Ardesco, il bel Caico,
Il Partenio, il Ladon, l'Eveno, il vasto
Sangario e il venerabile Scamandro.
Teti ebbe ancor di figlie un almo stuolo,
A cui del par che al sire Apollo e a' fiumi
Sacran le chiome lor gli uomini in terra:
Cotal esse da Giove onor sortiro.
Queste fur Pito, Admete, Iante, Elettra,
Dori, Ippo, Urania simigliante a Dea,
Primno, Climene, Rodia, Idia, Calliroe,
Zeusso, Pasitoe, Clitia, Toe, Plessaura,
Galassaura, e l'amabile Diona,
Melobosi, la vaga Polidora,
Gianira, la gentil Cerceide, Acaste,

Pluta dagli ampli rai, Perseide, Xante,
La lepida Petrea, Menesto, Europa,
Meti, Telesto avvolta in croceo manto,
Asia, Eurinome, Crisia, e la ridente
Calipso, Eudora, Anfiro, Ociroe, Tiche,
E Stige infin, che sovra l'altre è in pregio.
Queste le figlie fur d'Oceano e Teti,
D'età maggiori, e ve n'ha ben molt'altre.
Tre mila d'Oceáno agili figlie
Qua e là per terra, e ne' profondi laghi
Disperse van, divina inclita prole.
Altrettanti son fiumi alto-sonanti,
Che l'alma Teti all'Oceán produsse,
De' quali tutti annoverare il nome
È dura impresa ad uom mortal; ma noto
Ciascuno è a chi soggiorna a quei dappresso.
Tia fu che unita in amoroso nodo
A Iperione il vasto Sol, la chiara
Luna e l'Aurora generò, che a tutti
Gli abitator delle terrene spiagge
E dell'immenso ciel la luce appresta.
L'eccelsa diva Euribia a Crio congiunta
Produsse il grande Astreo, Pallante e Perse,
Che di raro saver su tutti ha il vanto.
La diva Aurora al divo Astreo legata
Con dolce laccio i vigorosi venti
Figliò, Zefiro Argeste, Borea e Noto,
E dopo quegli Fosforo, e le tante

Che fan corona al Ciel lucide Stelle.
Stige d'Oceano figlia al buon Pallante
Avvinta in sua magion Zelo e Vittoria
Da' piè leggiadri, e Robustezza e Forza,
Incliti germi, in luce diè, che albergo,
Seggio e cammin giammai non han diviso
Da quel ch'è guida lor Tonante Giove;
Ma sempre stanno in compagnía di lui.
E ciò per opra dell'eterna Stige
Quel giorno che appellò d'Olimpo in vetta
Giove fulminator tutti gl'Iddii,
E promise a chiunque di lor seco
Fosse incontro a' Titani uscito in guerra
Che ricovrato avrebbe onori e premj,
Quai fra lo stuol beato un dì godea.
E onori e premj acquistería chiunque
Si fosse, a cui gli dinegò Saturno.
Stige la prima da' conforti mossa
Del padre co' suoi figli andò all'Olimpo,
E Giove lei colmò di grazie e doni.
Fe' ch'ella fosse il giuramento grande
De' numi, e che la prole di lei sempre
Vicino a sè nel Ciel godesse albergo.
Con tutti ancor le sue promesse attenne,
E per sè riserbò l'alto comando.
Febe al giocondo talamo di Ceo
Andonne, e poscia di quel Dio feconda
Essa Dea partorì la dolce e blanda

Verso il mortale e l'immortal legnaggio
Latona adorna di ceruleo manto,
Che or più di prima ancor l'Olimpo allegra.
Partorì poi la rinomata Asterie,
Cui Perse addusse in sua magion superba,
E la si fe' consorte; e da lei nacque
Ecate, che onorata oltre ogni dea
Fu dal Saturnio, perocch'ei le feo
Splendidi doni, e le concesse arbitrio
Sovra la terra e l'inesausto mare.
Questa anche immenso onor dallo stellante
Cielo riscosse e dallo stuol de' numi.
E or quando alcun della terrena stirpe
Fa sagrifizj, e giusta il patrio rito
Tenta i numi placare, Ecate invoca;
E se la Dea propizia i voti accoglie,
Essa a lui di leggier dovizie e onori,
Chè bene il puote, a larga man dispensa.
Ch'ella in sè sola tutti quanti abbraccia
I privilegj, che tra i figli furo
Della Terra e del Cielo in pria partiti,
E nulla Giove a lei rapì di quanto
Goduto avea tra' primi Dei Titani.
Nè perch'ella sia stata unica figlia,
Minor gloria sortì, minor potere,
Siccome in terra e in ciel, così nel mare,
Anzi maggior, poichè sì piacque a Giove.
Ella a chi vuole alto soccorso appresta,

E chiaro il fa ne' popolar congressi.
